



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Thomae Młodzianowski, Polonie, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Metaphysica, Logica, Octo Libris Physicorum, Generatione, Corruptione
Et Anima

Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682

Disputatio III. De Natura universalis in communi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95667)



DE PRIMA OPERATIONE.

Aristotelis hinc Logicam, seu Organum explicamus, qui ad dirigendam primam Operationem scripsit librum de Prædicamentis, continetq; terminorum explicationem. Ad dirigendam secundam Operationem, scripsit libros de Interpretatione duos seu Perihermenias. Ad tertiam Operationem dirigendam scripsit tres libros Analyticos, seu priorum resolutiorum, in quibus agit de Syllogismo in communi, & duos posteriorum resolutiorum, in quibus agit de Demonstratione, insuper octo Topicorum, in quibus agit de Syllogismo probabilis, & Elenchorum duos, in quibus agit de Syllogismo sophistico. Hoc tractatu dabitur etiam explicatio Terminorum, sed una cum resolutione questionum circa illos; Morabimur autem præcipue, circa explicationem Universalis, Relationem, &c. sit

DISPUTATIO III.

De Natura Universalis in Communi.

In primis disputabitur de Universalibus in communi, accedemus postea ad Universalia in Particulari.

PRÆMITTO I. Debere admitti Universalia.

RATIO. Quia dantur Individua, datur enim Petrus & Paulus, non essent autem Individua, si non haberent rationem communem, adeoque si non daretur Universale. Et licet, quidquid a parte rei in se existit, sit singulare, non tamen quod existit in alio, est singulare. Jam autem Universalia, existunt in particularibus.

PRÆMITTO II. Quod si Universale, sit terminus concretus, adeoque, dicens aliquid pro Materiali, aliquid pro Formali.

RATIO materialis est hinc Natura, cui Universalitas, tanquam Forma quædam ex modo nostro concipiendi advenit, eamque universalisat. Porro hæc universalitas duo dicit: Unitatem, & Aptitudinem ad multa. Aptitudinem requisivit Aristoteles 7. Metaphys. tex. 45. & primo Periherm. c. 5. Unitatem autem requisivit. 1. Propter. 62. Et hæc acceptio universalis pro natura una apta inesse multis, est materia hujus tractationis.

PRÆMITTO III. Quenam sit Divisio universalis? Si spectetur natura una apta inesse multis, idque secundum ipsum esse, erit Universale in Essendo, seu Universale Metaphysicum, Metaphysicæ enim est considerare Essentias, si autem spectetur eadem natura, secundum quod est prædicabilis, erit Universale Logicum, seu univer-

sale in prædicando, ad Logicam enim spectant prædicationes. Accipi etiam potest, nomine Universalis, non tantum natura, apta inesse multis, vel de illis prædicari, sed quodcunque unum commune multis, quod ipsum sic commune, aliud est Complexum, aliud Incomplexum; Complexum est propositio universalis, v.g. Omne totum est majus sua parte. Aliud Incomplexum, & hoc si Logicè sumatur, erit subjectum, vel prædicatum propositionis universalis. Ipsum Incomplexum largius spectando, si sit commune causaliter, erit Universale in Cauſando, sic Sol, & Deus sunt universale in cauſando, Deus qui est causa communis omnibus, Sol quia plura cauſat, quod si sit commune representando, erit Universale in Representando, quæ ipsa representatio, si fiat per imaginem sensibilem, erit representatio sensibilis; quomodo unus Arabs pictus, representat reliquos, si fiat per imaginem intelligibilem, erit representatio intellectualis, qualis est species expressa, & impressa plurium obſectorum notificativa. Quod si plura significet, ut vox Homo, erit Universale in Significando, si verò sit natura una complectens omnes perfectiones inferiorum, erit Universale in Perfectione, alii appellant universale in Essendo.

INFERES I. Quare natura divina realiter identificata, tribus Personis, non sit universale, de quo hinc, quia non multiplicatur in Personis, tanquam in inferioribus, sed illis communicatur, per identitatem.

INFERES II. Quare Anima rationalis existens in pluribus partibus subjecti, non sit universalis, quia in

in illis est, sine sui multiplicatione imò etiam si poneretur in pluribus subiectis, eo modo, quo ponitur Essentia divina in Personis, id est cum identificatione, nec dum esset Universale. Ratio, quia nec Deitas est Universale.

INFERES III. *Quare Aqua v.g. una, in se habens plures partes, in quibus salvatur ratio aquæ, respectu illarum merè partium, non sit universale.* Quia scilicet non multiplicatur illud totum, in illis partibus, sed ex illis tantum constituitur.

PRÆMITTO IV. *Nullum universale dari separatum à singularibus seu non dari Ideas Platonicas.* Ratio. Quia quidquid in se est, singulare est, omne enim Ens, aut est productum, aut impro ductum, si improductum, ergò singulare, hoc est Deus, si productum, ergò etiam singulare, quia respondet determinatæ actioni. Deinde, quia si universale essent Ideæ, ex eo essent, quia deberent esse utiles ad prædicandum de singularibus, & ad causandum singularia, sed ad hoc non sunt utiles. Non ad primum, quia cum sint extra singularia, non affirmari de illis, sed negari deberent, distincta enim, de se affirmari non possunt; non ad secundum sunt utiles, quia deberent esse unitæ agentibus, adeoq; toto mundo, & extra mundum sparsæ, ubicunque agentia esse possunt. Nec sufficit, quod uniantur Intellectui agentis quia jam non esset opus, existere illa extra singularia, sed tantum uniri intellectui, concessio autem, quod uniantur intellectui per modum Ideæ, quomodo Ideæ causabunt generationem, cum generans in similitudinem naturæ, non Ideæ gignat. Quomodo item causabunt effectus, procedentes à principiis intellectum non habentibus, adeoque Ideatum non attractivis. Rursus universalis sunt essentia rerum, si essentia rerum, ergò ab illis inseparabiles. Deique si universalis sunt ideæ, ergò idea v.g. hominis sunt Petrus, Paulus, hoc non potest dici, quia si idea, sunt Petrus & Paulus, tunc identificantur sibi Petrus & Paulus, vel non identificantur? si identificantur, ergò non sunt Petrus & Paulus, sicut idem Petrus sibi identificatus, non est plura; si non identificantur, ergò sunt singularia, ergò illud universale, & est universale ut supponitur, & non universale, quia singularia.

DICES I. Universalis debent esse incorruptibilia ac immutabilia, ergò in singularibus esse non possunt, quia in illis quidquid est mutabile est.

RESPONDETUR. Quidquid est in singularibus, est mutabile quoad existentiam, non tamen quoad essentiam.

DICES II. Genita debent esse similia generanti, ergò extra illa debet dari similitudo, vel idealis causa, cui sint similia, & ita plures imagines, quando sunt similes, debet dari extra illas, saltem idea, cui assimilantur.

RESPONDETUR. Negando Consequentiam. Nam genita debent esse similia generanti in na-

tura, quæ natura non est extra generantem; secus imagines materiales, quæ non debent esse similes in natura.

DICES III. Plures visiones & intellectiones similes, requirunt Objectum extra se existens, cui assimilantur, ergò & plures naturæ similes, requirunt objectum extra se existens.

RESPONDETUR. Quod ad intellectiones attinet de illis falsum est Antecedens, quia intellectio potest se ipsam intelligere, & tamen non potest esse extra se ipsam. Visio, non titulo ut sit similis requirit objectum, extra se existens, sed ex conditione sui modi agendi, à posteriori nobis cogniti, hinc quamvis visio qualis modo datur, per impossibile una non nisi posset esse, adhuc visio præsens requireret objectum distans, quod si id non deposcit titulo similitudinis visio, poterunt esse individua similia sine ideis.

PRÆMITTO V. *Naturæ universales, non esse solas voces, aut conceptus.*

RATIO, quia quando sunt prædicationes, non ipsæ voces aut conceptus prædicantur, quomodo enim verificaretur particula, *est*, sed potius verificaretur particula *dico*, & particula *con cipio*.

PRÆMITTO VI. *Naturæ universales esse realiter divisas in particularibus.*

RATIO. Tum quia, si non divideretur realiter natura humana in singularibus, sequeretur unum tantum esse hominem, quia & Deus est unus, ex eo quod non multiplicetur Deitas in personis. Tum quia daretur in humanis mysterium Trinitatis, scilicet natura una realiter, in distinctis realiter personis. Tum quia Natura humana Petri, est idem realiter, cum hæceitate Petri, sed natura humana Pauli, non est idem realiter, cum hæceitate Petri, ergò natura humana Pauli, non est idem realiter, cum natura humana Petri.

PRÆMITTO VII. *Quod natura diversa realiter, habeant aliqua prædicata propria, & alteri non convenientia, aliqua convenientia, illa prior ratio vocatur differentia numerica, hæceitas, posterior ratio vocatur gradus Metaphysicus, ratio communis, prædicatum universale.* His præmissis, sit

Q U Æ S T I O I.

De Unitate Universalis.

UNITAS est idem quod Indivisio, quæ ipsa Unitas, alia est quæ appellatur hæceitas, unitas numeralis, individuatio, &c. vi cuius habetur, ut res non possit dividi, in aliam realiter. Alia Unitas appellatio Formalis (licet hæc diversimodè sumi possit) minor numerali, ratio per quam unum individuum cum alio individuo, aut una species cum alia, convenit, vocatur minor numerali, quia trahit secum aliquam multipliciter, nempe convenientiam plurimum,

rium, quod non convenit unitati numerali, de hac in presenti disputabitur, in quantum illa debita est universali.

DIFFICULTAS I.

*An habeat natura à parte rei actum Unitatem or-
tam ex Indivisione Unitatis Formalis?*

Dicunt aliqui Scotistæ, quod Natura humana, dividatur à parte rei Individuis, unitatem tamen formalem, seu unitatem, speciei humane competentem, non dividi.

DICENDUM est. *Unitatem formalem Naturam dividi à parte rei.* Ita Suar. d. 6. Metaphys. l. r.

PROBARI potest I. Natura Petri est idem simpliciter, cum hæcceitate Petri, Atqui natura Pauli non est idem simpliciter, cum hæcceitate Petri. Ergo natura humana Pauli, non est idem simpliciter cum Natura Petri.

RESPONDERI posset. Naturam Petri non esse idem simpliciter cum natura Pauli, id est non esse idem realiter, sed est adhuc una formaliter.

PROBARI potest II. Natura humana ut sit Universalis, debet ita existere in suis singularibus, ut per hanc sui in illis existentiam, constitutatur homo, & homo, sed nisi esset diversa simpliciter, non constitueretur homo & homo, ad eum modum, quo natura divina, non constituit Deum, & Deum, quia non dividitur in personis.

RESPONDERI posset. Constituendum hominem, & hominem, quia natura dividitur realiter, sed non est necesse, dividi Unitatem formalem, unde in divinis natura non constituit Deum & Deum, quia non dividitur realiter.

PROBARI posset III. Quidquid à parte rei existit singulare est, illa Unitas formalis existit à parte rei, ergo est singularis adeoque divisa.

RESPONDERI potest. Quicquid in se existit singulare est, non verò quod existit in alio, unitas autem formalis, existit in singularibus.

PROBARI potest IV. Quia nisi illa unitas formalis esset divisa, quomodo unus homo sine alio viveret, siquidem uterque naturam formaliter indivisam haberet, imò Antichristus, jam esset in cælo, quia natura ejus est una formaliter, cum natura S. Petri, qui est in cælo, & S. Petrus esset in inferno, quia est ibi Judas, uterque verò habet unam naturam formaliter. Eundem medium terminum sic proponit Maurus Q. 28. si dicatur natura humana secundum se, esse indistincta in Petro & Paulo. Ergo ponitur in creatis mysterium Trinitatis, quia etiam una natura divina datur in pluribus divinis personis. Imò asseritur aliquid mirabilius, nam una natura divina est in tribus personis quæ non sunt separata loco, cum tamen homines sint ita separati.

RESPONDETUR. Si diceretur illa natura esse indistincta realiter & non divisa realiter, seque-

retur mysterium Trinitatis, aut aliquid illo mirabilius, secus si dicatur divisa & distincta realiter, una tamen formaliter, & si distinguantur ipsæ naturæ, quamvis sint idem formaliter.

Hæ Probationes evincunt Naturam Humanam, esse divisam realiter in Individuis, quod dictum in Præm. 7. Quod atinet ad unitatem formalem.

PROBATUR hæc conclusio. Natura humana in Petro est divisa realiter, ergo & unitas formalis naturæ humanæ, est divisa realiter; Consequentia probatur. Quando aliqua sunt idem realiter, si unum illorum dividatur realiter, & ipsum debet dividi, hoc ipso enim non essent idem realiter, sed natura humana, & unitas illius formalis, sunt idem realiter, ad eum modum quo unum transcendentalis, est idem realiter cum Ente, neque est ulla necessitas, hæc distinguendi realiter. Ergo si natura est multiplicata realiter, multiplicabitur realiter etiam unitas formalis. Neque est recurrere ad divina, ubi multiplicata persona, non multiplicatur realiter natura, quia in divinis est distinctio virtualis in ordine ad prædicata Physica, quæ non datur in Creatis.

CONFIRMATUR. Si unitas formalis non esset divisa in Petro & Paulo, Petrus & Paulus, non essent unum formaliter, & tamen hanc unitatem adstruunt Scotistæ. Sequela probatur, quia si natura humana non esset in illis divisa realiter, non essent illi homines. Ergo etiam, si non esset in illis divisa realiter unitas formalis, non essent unum formaliter.

OBJICITUR I. Natura humana in Petro & Paulo est solum divisa individualiter, non autem formaliter. Ergo datur à Parte rei unitas universalis, stans in indivisione unitatis formalis.

RESPONDETUR. Naturam humanam, hoc sensu non esse in Individuis divisam formaliter, quia individua, non differunt secundum prædicata specifica, sed non hoc sensu, quasi ipsa prædicata specifica, non sint in individuis divisa, ac multiplicata realiter.

OBJICITUR II. Natura humana in pluribus existens, de se, ac positivè est Ens, ergo de se & positivè, est una; Sed non est una unitate individuali, aliàs non esset communicabilis inferioribus, individua enim non communicantur inferioribus. Ergo est una unitate formali.

RESPONDETUR. Naturam humanam in pluribus existentem, non esse Ens, sed entia, nec naturam, sed naturas individuales, consequenter & unitas illius multiplicata est.

OBJICITUR III. Natura humana, & equina v. g. ex se, seclusis omnibus individuantibus principiis, sunt distincta realiter, & essentialiter. Ergo unaquæque earum, est una formaliter.

RESPONDETUR. Unamquamque earum, esse unam formaliter, sed unitate in se multiplicata.

Obji-

OBJICITUR IV. Natura humana v.g. est communis, ergo & unitas illius est communis, ergo non est necesse illam multiplicari.

RESPONDETUR. Sicut natura humana, quamvis sit communis, multiplicatur realiter, ita multiplicari debet & unitas formalis, cum ipsa illa communitas, perficiatur ipsa multiplicatione unitatis formalis.

OBJICITUR V. Si unitas formalis dividetur, & multiplicaretur, aut multiplicaretur in plures unitates formales, & hoc non, quia de ratione eius est, ut sit formaliter indivisa, & in hoc consistit ejus unitas, aut multiplicaretur in plures unitates individuales, & sic non dividitur unitas formalis ut sic, sed potius communicatur multis.

RESPONDETUR. Multiplicari unitatem formalem, in plures unitates formales, naturæ autem v.g. humanæ, competit, ut in inferioribus sit formaliter indivisa, in hoc tantum sensu, quod illius inferiora, non sint specie distincta, non autem ut excludat sui multiplicationem realem. Quamquam potest etiam dici multiplicari unitatem formalem, in plures unitates formales, communicariq; illam, titulo multiplicationis realis, unde natura illa est communis, non ita sicut est commune hypocauftum, quod non multiplicatur respectu eorum, quibus est commune, sed est commune multis, sicut habitus religiosus, communis omnibus, multiplicatur in singulis.

INSTABIS. Quod est unum multiplicari non potest, unitas formalis est una, ergo multiplicari non potest. Item, unitas non includit plura, ergo nec potest dividi in plura.

RESPONDETUR. Unum per convenientiam, posse multiplicari, includereq; plura; licet unum per divisionem, seu unum individuale, multiplicari non possit.

OBJICITUR VI. Si unitas formalis multiplicaretur, non esset condistincta ab unitatibus individualibus.

RESPONDETUR. Has duas unitates non esse realiter distinctas, adeoque unâ multiplicatâ, multiplicari & aliam; sed distinguuntur conceptu, quia unitas formalis, ex proprio conceptu, dicit indivisionem in prædicatis specificis. Individualis dicit indivisionem in ipsa realitate hæccitatis.

OBJICITUR VII. Natura de se indivisa, & una formaliter, est ubique indivisa, sed natura universalis de se est indivisa, & una formaliter, ergo natura universalis est ubique indivisa. Ergo & in individuis. Minor probatur. Natura humana de se, non habet divisionem, aliâs ubique illam haberet. Ergo de se est indivisa.

RESPONDETUR. Naturam de se, hoc est Metaphysicè spectatam, adeoque prout illud de se, subest nostris conceptibus, esse indivisam, & unam formaliter; non autem de se, prout est à parte rei, & prout illud de se, spectatur independentè à nostris conceptibus.

INSTABIS. Ex propositione negativa, de prædicato finito, bene potest inferri propositio affirmativa, de prædicato infinito, ut homo non est albus, ergo homo est non albus, ergo etiam ex ista propositione, unitas formalis de se, non est indivisibilis, bene inferretur, ergo de se est non divisibilis, ergo dividi realiter non poterit.

RESPONDETUR. Bonam esse illationem, si termini eodem modo in Antecedenti & consequenti sumantur, hic autem, non eodem modo sumuntur, quia Ly de se, in Antecedenti importat solam non exigentiam divisionis, adeoque importando indifferentiam ad dividi realiter, in consequenti autem importatur exigentia, ut nullo modo dividi possit.

DIFFICULTAS II.

An habeatur à parte rei Unitas, orta ex statu Præcisionis?

Auctores aliqui ex Fonseca 5. Metaphys. c. 28. q. 3. §. 2. ut ponant universalem unitatem à parte rei, recurrunt ad statum Essentia, quem appellant, statum solitudinis, indifferentia, antecessionis, secundum quem natura, præcedit sui contractionem, multiplicationemq; in individuis, & ratione hujusmodi antecessionis, volunt illi convenire, unitatem universalem, quæ tamen unitas non descendat cum ea, ad statum contractionis, vocatur hic idem status & unitas orta ex illo, unitas præcisionis, quia convenit naturæ præcise à singularibus.

DICENDUM est. *Naturam non habere unitatem, Universalem, ortam ex statu præcisionis, quæ sit nemine cogitante.*

PROBATUR I. Præcisiones à singularibus nature, quæ spectetur secundum sola essentialia, non dantur nemine cogitante actu, sunt enim præcisiones illæ actus nostri intellectus, ergo nec unitas orta ex illo statu præcisionis, datur nemine cogitante actu.

PROBATUR II. Quia hæc unitas præcisionis, vel est realis, vel intentionalis, si realis, ergo multiplicatur & dividitur, unâ cum hæccitatibus; si intentionalis, ergo non est nemine cogitante sicut & ipsæ intentiones nostræ.

PROBATUR III. Illa unitas vel ita sequitur naturam humanam v.g. sicut rationalitas, vel alio modo, si sequitur ut rationalitas, ergo non est necesse illam quarere, ex statu præcisionis sicut nec ex præcisione habetur, quod homo sit rationalis, si alio modo, ostende quo, ita ut appareat, quod ille status & unitas, non sit ex opere intellectus, cum non sit modus distinguendi illam ab intentionalibus.

OBJICITUR I. Natura humana, non solum quatenus abstracta, sed etiam quatenus præcindit à dif-

à differentiis individualibus, estq; naturæ ordine, prior illis, habet unitatem quandam, non est enim plures, sed una natura. Ergo datur in statu præcisionis universalis naturæ Unitas.

RESPONDETUR. Negando hoc ipsum quod est esse naturam, quatenus præcisam, haberi nemine cogitante.

OBJICITUR II. Natura in statu præcisionis est Ens, & una definitione definibilis, ergo est una.

RESPONDETUR. Naturam in statu præcisionis esse Ens, sed non esse ens nemine cogitante.

OBJICITUR III. Natura non potest esse una per denominationem extrinsecam, scilicet quia per unum numero conceptum representatur, conceptus enim potius habet unitatem ab objecto, quam è converso, & sicut natura, multiplex conceptu representata, pro multiplicitate conceptuum non multiplicatur, ita nec unitate conceptus una redditur. Ergo talis unitas, conveniet naturæ ex se, non per intellectum.

RESPONDETUR. Naturam non posse esse unam, ratione unius numero conceptus, tanquam propter formam, unitatem tribuentem, posse tamen acquirere unitatem, ratione unius conceptus, tanquam alicujus prærequisiti ad eandem, de quo infra. Quod attinet ad propositionem illam, conceptus potius habet unitatem ab objecto, de illa sic posset discursu, quod sint aliqua objecta, quæ intellectus præsupponit, ut dum cognoscit Deum, alia objecta non præsupponit sed facit, in priori eventu objecta possunt tribuere, unitatem notitiæ, sed in posteriori eventu, sicut esse, ita & unitatem accipiunt actu Objecta à conceptu, licet Unitatem fundamentalem de se habeant.

DIFFICULTAS III.

An habeatur à parte rei Unitas negativa universalis?

Distinguebat Cajet. Unitatem universalem in positivam, & negativam. Nomine positivæ, accipiebat unitatem, quæ competat naturæ, ita ut sit indeterminata ad plura individua per separationem, & abstractionem, à differentiis individualibus, involvendo proximam potentiam ad prædicari de illis, nomine autem unitatis negativæ, intelligebat unitatem, quam habet natura ex eo præcisè, quod non sit singularis. Dicit ergo Cajet. quod non habeatur in natura, unitas positiva universalis, quæ sit à parte rei, haberi tamen unitatem negativam.

DICENDUM est. Non dari unitatem negativam universalem à parte rei.

PROBATUR I. ex Arr. & Ovied. Hæc unitas negativa, non convenit realiter hæccitati. Ergo non datur nemine cogitante. Antecedens probatur, quia unitas hæc negativa, dicit non esse singularis, hæccitas autem, dicit esse singularis. Consequentia probatur. Quod convenit realiter

hæccitati, quæ est nemine cogitante, debet etiam convenire realiter iis, quæ sunt idem realiter cum hæccitate.

PROBATUR II. Quia si unitas illa negativa, non est apta prædicari de multis, quomodo erit unitas universalis.

PROBATUR III. Quia hæc sententia coincidit cum Scotistica, admittit enim formalitates, nemine cogitante condistinctas, intra unam eandemq; Physicam Entitatem, condistinguit enim illam nemine cogitante à singularitate, admittit enim nemine cogitante singularitatem, quia admittit individuationes, & admittit nemine cogitante, intra eandem entitatem realem non singularitatem, idq; nemine cogitante, quia admittit, unitatem negativam, nemine cogitante, quæ non est singularis.

OBJICITUR I. De conceptu quidditativo naturæ, non est singularitas, ergo ante operationem intellectus, convenit naturæ unitas negativa, seu non esse singularem.

RESPONDETUR. De conceptu naturæ, spectatæ prout substat nostris intentionibus & metaphysicè, non est singularitas, est tamen de conceptu naturæ, prout est à parte rei, à parte enim rei, nihil sunt nisi singularia.

OBJICITUR II. Natura quæ est in Petro quatenus est ex se, non est incommunicabilis, alias non posset, sine incommunicabilitate cognosci, ergo de se non est singularis, ergo habet unitatem negativam.

RESPONDETUR. Natura, quæ est in Petro, quatenus ex se metaphysicè spectata, non est incommunicabilis, secus si spectetur prout est à parte rei, hinc natura Petri, in quantum acquirit statum intentionalem, non est ex se incommunicabilis, quamvis independentem ab hoc statu, sit incommunicabilis, consequenter si spectetur natura, quæ est in Petro adæquatè, non potest sine incommunicabilitate cognosci.

OBJICITUR III. Creatura debet habere prædicata opposita Creatori, Creatoris autem natura, dicit prædicatum singularis, ergo Creatura debet dicere negationem singularis. Ergo habet unitatem negativam.

RESPONDETUR. Non omnia prædicata opposita, prædicatis Creatoris, debet dicere Creatura, alias non deberet esse Ens; sed id verificatur de solis prædicatis divinis differentialibus, qualis non est singularitas, aut si est, est talis, quæ fundamentum non præbeat, quod multiplicari illi conveniat, per sibi simile, singularitas enim divina, non dat fundamentum, quod multiplicari possit in similibus numero Diis, convenit autem multiplicari naturæ creatæ.

DIFFICULTAS IV.

De Unitate universali, & Convenientie.

Nomine unitatis convenientiæ intelligitur similitudo, in eadem natura sive specifica, qua-

qualis est inter Petrum & Paulum, siue generica, ut cum in ratione Animalis conveniunt Petrus & Bucephalus; Nomine autem Unitatis formalis, venit unitas, vi cuius v.g. Petrus non hoc tantum habet, ne possit dividi in Paulum, quod formaliter habetur ab hæcitate, sed etiam, quod non possit dividi in aliam essentiam, v.g. quod Petrus non possit dividi in essentiam Leonis, & hæc appellatur unitas formalis. De his Unitatibus duo quærenda veniunt. 1. an illæ dentur à parte rei. 2. an sufficiant ad universale constituendum.

Punctum Difficultatis 1.

Danturne à parte rei, Unitas Conventientie, & Unitas formalis?

DICENDUM est 1. *Dari actu nemine cogitante unitatem conventientie.*

PROBATUR 1. Vel nemine cogitante actu differunt specie Petrus & Paulus, vel actu nemine cogitante non differunt specie, si nemine cogitante actu Petrus & Paulus differunt specie, ergo nemine cogitante, vel alteruter, vel uterque non est homo; si enim uterque eandem speciem haberent, non differrent specie, ergo nemine cogitante conveniunt specie, hæc enim pro præfenti idem valent.

PROBARI 2. solet. Fundamentum Relationum realium, debet esse nemine cogitante, sicut & ipsæ relationes reales debent esse nemine cogitante, hoc ipso enim non essent reales; sed unitas conventientie, similitudinis, communicationisq; in natura, est fundamentum Relationum realium: Ergo est nemine cogitante dicta unitas. Major probatur. Fundamentum Relationum realium in ratione v.g. Hominis, non potest esse Unitas individualis, secundum quod individualis est, ergo fundamentum hoc debet esse Unitas conventientie. Antecedens probatur. Id quod facit ultimo differre, & non facit plura convenire, non potest esse fundamentum Relationum realium in natura v.g. ideo enim aliqua dicuntur eadem, quia conveniunt, non quia differunt; sed Unitas individualis, qua individualis, facit ultimò differre, hoc ipso non esset differentia ultima, ergo non potest esse fundamentum dictarum relationum.

PROBATUR 3. Nemine cogitante verum est, quod Petrus sit individuum humanum, quia nemine cogitante est, quod est, esse enim, est independentens à conceptibus, quod ipsum verificatur etiam de Paulo, ergo illi dicunt inter se unitatem conventientie, quia sicut similia & conventientia in albedine sunt, quia hoc album, & illud album est; ita conventientia in natura humana non aliud est, quam quia hoc individuum Hominis, & illud individuum ejusdem est.

OBJICITUR 1. Inexplicabile est quid sit ista Unio conventientie.

RESPONDETUR. In re nihil aliud esse, nisi individua plura, ex modo autem concipiendi, Conventientia, est, quasi forma, faciens illa convenire, seu similia esse in natura.

OBJICITUR 2. Ista unitas conventientie, nihil dicit ultra unitatem individualem. Ergo si unitas individualis non est fundamentum relationum realium, nec Unitas individualis erit.

RESPONDETUR. In re à duabus unitatibus v.g. individualibus, non distingui unitatem conventientie, eorundem individuorum. Cæterum Unitas individuationis, non qua individualis est, est formaliter unitas conventientie, quæ enim individualis est, dicit solam rationem differendi, sed unitas individualis, in quantum est talis ac alia unitas individualis, est unitas conventientie.

OBJICITUR 3. Unitas fundatur in Ente, ergo & unitas conventientie fundabitur in Ente.

RESPONDETUR. Fundari unitatem conventientie in hoc Ente, quod individua dicant similia prædicata essentialia, vel in genere, vel in specie.

DICENDUM 2. *Dari nemine cogitante in unoquoque individuo Unitatem formalem.*

PROBATUR 1. Ubi est negatio divisionis formalis, ibi est unitas formalis, sed in unoquoque individuo datur negatio divisionis formalis, ergo in unoquoque individuo datur unitas formalis. Major constat definitione unius, unum enim idem est, quod & indivisum, ergo indivisum formaliter, erit unum formaliter. Minor probatur. In quo non dantur rationes & principia divisa, essentialiter, in eo est negatio divisionis essentialiter, alias sine suis principiis daretur divisio. Sed in unoquoque individuo non dantur rationes & principia divisa essentialiter; quia principia divisa essentialiter, sunt differentie essentielles & specificæ, quæ in nullo individuo, plures dantur.

PROBATUR 2. Datur in unoquoque individuo hominis natura generica, & natura specifica, v.g. datur ratio animalis & ratio hominis, ergo datur etiam in unoquoque individuo unitas formalis animalis, & unitas formalis hominis, quia unitas formalis animalis, & unitas formalis hominis, non sunt quid distinctum re.

PROBATUR 3. Quot sunt negationes divisibilitatis in individuo, tot sunt unitates in individuo, sed præter negationem divisibilitatis in plura entitativè, est etiam negatio divisibilitatis in plura essentialiter, ergo etiam est in individuis unitas essentialis, ergo & unitas formalis.

COLLIGES. Tres admitti debere unitates nemine cogitante. Unam individuaalem, vi cuius non potest dividi natura in aliud individuum simile in specie, admitti item debere unitatem

† Gg

for-

formalem, quæ est indivisio prædicatorum essentialium, vi cuius non potest dividi v.g. Petrus in individuum Leonis; Denique tertiam unitatem admitti debere relativam, quæ est unitas convenientiæ.

Punctum Difficultatis 2.

An Prædictæ Unitates sint sufficientes ad universalem formaliter?

DICENDUM est 1. *Non esse sufficientem Unitatem Formalem explicatam, ad constituendum universale.*

PROBATUR 1. ex Suar. d. 6. Metaph. sect. 3. Unitas universalis ut universalis est, debet esse talis, ut sit illi propria, & rei singulari, quæ singularis est, convenire non possit, sed unitas formalis, est unitas, quæ rei singulari ut singularis est convenire potest, ergo unitas formalis non est unitas universalis. Major probatur. Ratio constitutiva differentialiter universalis, ut universale est, convenire non potest rei singulari, ut est singularis, hoc ipso enim non esset ratio differentialiter constitutiva, jam autem ratio universalis, formaliter constituitur unitate. Minor principalis probatur. Quia etiam rei singulari, ut singularis est, convenit, non posse dividi in alia essentialiter prædicata, convenit enim Petro non tantum non dividi in Paulum, sed nec posse dividi in Leonem.

PROBATUR 2. Unitas formalis multiplicatur in individuis pro illorum multiplicatione, ut probatur supra. Unitas universalis non multiplicatur in individuis. Ergo unitas formalis, non est unitas universalis. Minor probatur. Quia si unitas universalis quæ universalis, multiplicarentur in individuis ipsa universalis, multiplicatis enim rationibus rem aliquam constituentibus, & ipsa res multiplicatur, jam autem, ab unitate universalis, constituitur universale, & qui concedit hanc unitatem à parte rei, concedit etiam aptitudinem universalem.

PROBATUR 3. Potest alicui enti competere, unitas formalis, & tamen illa unitas formalis, exigit non esse universalis: Ergo unitas formalis, & unitas universalis non sunt idem. Antecedens probatur. Deus habet unitatem formalem. Angelus item, si est in multiplicabilis numero, nam convenit illis negatio divisibilitatis, secundum prædicata Essentialia, & tamen non est universalis illa unitas, siquidem in plura inferiora non multiplicabilis.

RESPONDERI posset 1. Quod dicta unitas sit insufficiens, ad universale Logicum, licet sit sufficiens, ad universale Metaphysicum.

CONTRA. Quia argumenta allata probant, etiam ad universale Metaphysicum, non sufficere dictam unitatem.

RESPONDERI potest 2. Unitatem formalem, non quamcunque requiri, sed conjunctam aptitudini ad essendum in multis, hæc autem non convenit singulari, quæ singulare, &c.

CONTRA 1. est. Quæro, habetne aliquod prædicatum ista unitas formalis, per quod universalisetur, idque independenter ab ipsa aptitudine ad inessendum multis, vel non habet? si non habet, ergo sola aptitudo, est ratio universalis formaliter, quod esse non potest, cum universale definiatur, non solum per aptum inesse multis, sed etiam per unum. Quod si habet aliquem suum conceptum, ipsa unitas, independenter ab aptitudine, tunc quæro: conceptus iste independenter ab aptitudine, vel potest convenire singularibus, vel non potest? si potest, redeunt argumenta facta, si non potest, ostende quisnam ille sit? indubieque poterit inferri, quod ille non detur à parte rei, ergo ulterius immerito recurristi in responsione ad aptitudinem, tanquam ad universalisativum unitatis. Ergo ulterius duas unitates formales in Petro assignas, quod & novum est, & sequitur duas esse essentias in homine, quia duas unitates formales, quæ erunt duæ negationes divisionis in prædicata essentialia, quæ negationes, idem sunt cum duabus essentis.

CONTRA 2. Si unitas formalis, esset unitas universalis, & esset universalis ut supponitur, & non esset, quia unitas formalis universalis, debet esse conjuncta aptitudini ad inessendum multis, sed unitas formalis non est talis, indistinctur enim ab hæcitate Petri, quæ non dicit aptitudinem ad esse in multis.

CONTRA 3. Unitas ista formalis, non est distincta nemine cogitante actu, ab unitate individuali, ut suppono ex materia de distinctionibus. Subsumo. Sed unitas individualis non est unitas universalis, ergo nec unitas formalis, erit unitas universalis. Et certè, si unitas formalis condistincta esset actu nemine cogitante ab unitate individuali, individuum illud prout condistinctum ab unitate formali, vel esset individuum hominis, vel non esset, si non est individuum hominis, ergo nec est hæcitas hominis, adeoque non est, quod est, nam hic queritur de hæcitate hominis; si autem unitas individualis, prout condistincta unitati formali, est individuum hominis, ergo prout condistincta, dicit essentialia prædicata: Ergo & negationem non esse hominis, ergo & negationem divisionis in id, quod non est homo, adeoque adhuc prout condistincta individualis unitas, dicit unitatem formalem.

DICENDUM est 2. *Unitatem convenientiam, non esse unitatem universalem formaliter.* Ita Suar. &c.

Pro-

PROBATUR 1. Singularia convenientia & similia in natura, non constituunt universale formaliter, ergo nec unitas convenientia, nam hæc in re & nemine cogitante, non sunt actu distincta, præcipue apud illos, qui unum non distinguunt actu, à re una. Antecedens probatur. Universale debet esse unum, aptum inesse multis, sed singularia convenientia & similia in natura, non sunt unum aptum inesse multis, ergo singularia, non sunt universale formaliter. Minor probatur. Quia quod debet esse unum, aptum inesse multis, debet esse ratio, quam participant multa, non verò ipsa participantia, jam autem singularia, non sunt ratio quæ participatur.

Idem medius terminus sic proponitur. Si nomine universalis intelligas non aliud, quam plura convenientia in natura, indubiè sic sumptum universale datur à parte rei. Sed quæro, vel vis retinere definitionem communem universalis, vel non vis? si non vis; extra statum questionis disputas; si vis, ergo universale non debet esse formaliter plura similia in natura, nam unum aptum inesse multa & plura similia in natura, non sunt idem formaliter, nam negatio divisionis, cum esse divisionis, non sunt idem, plura autem sunt esse divisionis, & unum negatio divisionis. Et certè plura adeoque apta esse multa, & unum aptum inesse multis, non sunt idem formaliter, vel ex oppositione ipsius Ly plura cum Ly unum. Jam autem plura convenientia, seu habentia unitatem convenientia, sunt plura adeoque apta esse multa. Ergo plura dicentia unitatem convenientia, non sunt unum formaliter.

PROBARI 2. solet. Unitas universalis non debet esse passio pluralitatis, Unitas convenientia est passio pluralitatis, ergo unitas convenientia, non est unitas universalis. Minor probatur. Unitas sequens multipliciter, est unitas, quæ est passio pluralitatis, unitas convenientia, est unitas sequens multipliciter, quia est unitas relativa, seu ad aliud, adeoque necessariò involvens plura. Major principalis probatur. Tum quia unitas universalis, debet esse unitas naturæ non naturarum, & in definitione universalis, ponitur pro genere natura, non naturæ. Tum quia unitas universalis, debet esse unitas sine addito, sine addito enim ponitur in definitione, jam autem unitas, quæ est passio pluralitatis, est unitas cum addito. Tum quia si unitas universalis, esset passio pluralitatem sequens, esset unitas vel universalis Metaphysici tantum, vel Logici etiam; neutrum dici potest: Non primum; Quia si alia esset unitas universalis Metaphysici, nempe unitas involvens pluralitatem, alia unitas universalis Logici, erunt & ipsa universalis, distincta nemine cogitante actu, adeoque non idem erit Universale in Prædicando, quod est universale Metaphysicum, cum diversa habeant constitutiva, con-

sequenter non id prædicabitur quod est; non potest dici secundum, quia universale Logicum, excludit pluralitatem, de quo infra.

PROBATUR 3. Si unitas convenientia, esset unitas universalis formaliter, universale illud esset aggregatum ex pluribus, naturam similem participantibus, sed universale formaliter non est aggregatum ex pluribus similem naturam participantibus. Tum quia non est ita definitum ab Aristotele. Tum quia si nihil obstat, debet poni universale, cum sua passione, quod est prædicabilitas de singulis, sicut ponitur & aptitudo ad inessendum singulis, ut ita esse & dici, proportionentur. Jam autem si unitas convenientia, esset unitas universalis formaliter, non esset universale cum passione prædicabilitatis, siquidem plura, quæ involvit unitas convenientia, non possent dici de uno, sine falsificatione propositionum; & si esse aptum inesse multis, spectat ad universale formaliter, spectabit etiam, dici de multis. Tum quia, si universale est aggregatum, ex pluribus similem naturam participantibus, hoc ipso debet dari illis omnibus ratio communis, quæ participetur ab illis, quæ ratio cum non sit singularis formaliter, debet esse illa communis multis, quæ sita ratio formalis, universalis formaliter.

Addo, sicut formatur à nobis conceptus animalis rationalis, qui est conceptus, Metaphysicè definitivus hominis, de quo ipso si quærat, quid in re & Physicè sit, respondetur; quod sit corpus v.g. & hoc & illud, hæc & illa anima rationalis, ita ratio illa participata in pluribus similem naturam habentibus, quæ est ratio quædam Metaphysica, si quærat, quid in re & Physicè sit, non aliud erit, quàm & hoc & illud individuum. Universaliter; quæcunque rationes communes, & Metaphysicæ, in re & Physicæ sunt id, quod præbet fundamentum conceptus illius Metaphysici, & ratio communis.

DICENDUM est 3. *Unitatem ad universale sufficientem, esse indivisionem, in plura, sive numero, sive specie distincta, cum aptitudine ad inessendum multis.*

PROBATUR 1. Quia debet esse Unitas aliqua universalis, aliàs nec universale daretur: quæ unitas, cum non sit unitas præcisionis, unitas negativa, unitas formalis, aut convenientia, ergo debet esse unitas in conclusione expressa, nulla enim alia.

PROBATUR 2. Quia hæc sola indivisio, constituit universale, cum passione sua necessaria, hoc est prædicabilitate, si enim ita unum & indivisum prædicabitur, non prædicabitur aliquid, quod non inest subiecto.

PROBATUR 3. Quia sic definitur unitati, nihil deest, ad rationem unitatis universalis formalis.

Hæc Conclusio totam suam probationem sumit, ex refutatione alienarum sententiarum, &

his, quæ infra dicentur. Hisq; verbis docetur à S. Thom. I. Metaph. L. I. *Non enim in diversis singularibus est aliqua natura una numero, sed intellectus apprehendit, ut unum id, in quo omnia inferiora conveniunt, & sic in apprehensione intellectus, species sit indivisibilis, quæ realiter est diversa in diversis individuis.*

INFERES. Hanc unitatem non esse à parte rei.

RATIO. Quia omnia quæ sunt à parte rei, sunt aut solo numero, aut specie divisa, ergo non dicunt indivisionem in plura. Porro unitas hæc universalis, in eo est dissimilis unitati individuali, quia hæc non solum dicit indivisionem, sed & ineptitudinem ad divisionem in plura; differet autem ab unitate formali, quia hæc reperitur in subjectis, quæ non exigunt, imò nec possunt multiplicari, ut vidimus supra.

Punctum Difficultatis 3.

Fundamenta Oppositorum.

OBJICITUR 1. Nulla unitas præter formalem, est unitas universalis, ergo ista est sufficiens ad constituendum universale. Antecedens probatur, quia nulla alia facit universale unum in multis, si enim aliqua alia id faceret, faceret vel illa, quæ solum est objective in intellectu, vel illa, quæ solum est subjective in intellectu, Neutra: non illa quæ est tantum objective in intellectu, quia hæc est ens rationis, neque illa quæ est subjective in intellectu, quia unitas hæc, est in actu intellectus, representans plura per modum unius, consequenter sicut ipse actus non est in multis, ita nec unitas ipsius, est in multis.

RESPONDETUR. Etiam permisso quòd illa unitas, quæ est subjective in intellectu, sit unitas formalis universalis, negabitur, quod hæc unitas, sit unitas in actu intellectus, representantis plura per modum unius, non enim tunc representantur per nos, etiam confuse plura. Deinde negatur, quod unitatis universalis nomine, veniat per nos unitas actus intellectus.

Hinc jam conformiter ad dicenda infra, negatur Antecedens cum suis probationibus. Neque enim unitas, quæ sit tantum objective in intellectu, neque unitas, quæ sit subjective in eodem facit naturam universalem unam, sed unitas & divisio inclusa in ipsa natura, licet non extra circumstantias nostræ abstractionis, quæ abstractio facit, ut unitas illa, quæ fundamentalis tantum, postea in actum, pro statu Metaphysico, deducatur.

INSTABIS. Si ista unitas est unitas ipsius naturæ, debet esse illi intrinseca, intrinseca esse non potest, quia abstractio non potest ullam rationem intrinsecam naturæ addere, nisi fictitiè.

RESPONDETUR. De intrinsecitate istius unitatis, infra agetur. Quantum ad præsens dici potest, abstractionem, quæ est cum fundamento in re, posse facere, ut natura aliquam rationem intrinsecam fundamentaliter, actu habeat vi abstractionis, quod fieri potest, sine ulla fictione; neque enim status Metaphysicus aut intentionalis, si procedat cum fundamento in re, est status fictitiis, licet fictitia esset hæc unitas, si haberetur sine fundamento in re. Quamvis autem nihil conceptus meus tribuere possit rebus, extra intentionalem statum habentibus, potest tamen aliquid tribuere rebus in intentionali statu. Et sicut oppositi unitatem universalis Logici, quam dicunt abstractione fieri, non dicunt esse fictitiam, ita & in præsentem idem dicendum.

OBJICITUR 2. Illa sola unitas est sufficiens ad universale formaliter, per quam natura habet, ut sit actu in multis, sed per nullam aliam, habet natura, quòd sit una actu in multis, præter unitatem formalem vel convenientiæ. Ergo illæ sunt sufficientes ad universale formaliter. Major probatur, quia arbitrariè dicitur, naturam debere esse in multis, solâ aptitudine, præcipuè cum à parte rei per Aristotelem, debeat esse universale, nolebat enim ille formas rerum, esse extra multa, ut patet 1. Poster. tex. 26. & 7. Metaph. tex. 31. Minor etiam probatur, quia natura in statu abstractionis, est unum extra multa.

RESPONDETUR. Sufficere ad universale, ut sit natura una, non actu in multis, sed apta inesse multis, quia hoc ipso non esset una, si esset actu in multis; & si deberet esse actu in multis, esset universale non aliud, quam plura eandem naturam participantia, cujus oppositum probant argumenta. Aristoteles non plus voluit, quam quod non dentur universalia actu & realiter extra singularia existentia, quod voluit Plato, & à nobis non asseritur. Cæterum unitas illa universalis per nos, debet esse præter multa, non in hoc sensu, quasi debeat esse unitas, cum exclusionem capacitatis ad multa, sed in hoc sensu debet esse præter multa, id est non cum differentiis & hæc ceitatibus.

OBJICITUR 3. Sinatura universalis non deberet esse una in multis actu, sed una in multis aptitudine, non potest enim quidquam aptitudine esse tale, quale nequit esse actu. Atqui natura universalis, non potest esse una, cum multiplicitate actuali: Ergo nec aptitudine, esse una in multis.

RESPONDETUR. Diversas esse propositiones: Natura quæ est una, habet aptitudinem ad esse in multis, & alia est hæc propositio: Natura una cum unitate retinenda, habet aptitudinem ad inessendum multis, prior est vera, posterior falsa, unde quando dicitur universale est unum

unum aptum inesse multis, in priori sensu est accipiendum, consequenter ly una componi debet cum natura, non cum ly apta inesse multis, neque enim retenta unitate, est apta, poni in multis.

INSTABIS. Si unitas universalis esset unitas in multis aptitudine, ly in multis, construxisset Arist. cum ly aptum inesse, non verò cum ly unum, sed construxit cum ly unum, ut habetur 1. poster. tex. 25.

RESPONDETUR. Etiam sub illo ly unum in multis, subaudi aptum inesse.

ADDO. Si quis non aliam unitatem requireret ad universale, nisi eam, quæ etiam rei singulari, qua singularis est conveniret: Si item nullam aliam nisi unitatem convenientiæ, cum illo his est de solo nomine: an scilicet hoc sit vocandum universale? nam in re idem dicimus: dari scilicet unitatem convenientiæ. Et solum tale universale admittit Maffrius Scotista D. 4. N. 3. *Per universale in essendo &c. non intelligitur universale in Actu, sed Natura communis, qua possit esse fundamentum intentionis universalitatis, & ob suam communitatem præbeat occasionem intellectui, ut ipsam concipiat verè & positivè unam in multis.* Quid si id dixisset Maffrius, de distinctione Scotistica.

DIFFICULTAS V.

Proponitur tenenda sententia de Universalis.

POST Conclusionem, superius Punct. Diff. 2do traditam, constitit, quòd hæc unitas universalis non habeatur, nisi per Intellectum, discutiendum tamen, & in particulari impugandum venit. Quod non detur universale, hoc est natura communis, nemine cogitante condistincta à differentiis, & quidem, quod non detur universale Logicum nemine cogitante, consentiunt omnes, cum ad illud requirant vel actum intellectus confusum, vel comparativum vel abstrahentem objectivè. Imò Scotista Maffrius Disputatione 4. n. 18. hic, docet, solum universale in prædicando, esse propriè universale, consequenter inferri potest, nullum universale verum & proprium, haberi nemine cogitante. Tota Difficultas est, de universali Metaphysico, de quo

DICENDUM est. *Non dari actu à parte rei universale formaliter Metaphysicum, seu non dari Naturam communem, nemine cogitante condistinctam à differentiis, dixi non dari actu à parte rei universale formaliter, quia indubiè, datur à parte rei nemine cogitante actu, fundamentaliter acceptum universale, datur enim fundamentum sufficiens, concipiendi Naturam unam, aptam inesse multis; intellectus enim videndo sensatione nos convenire cum brutis, differre ab iisdem rationalitate, habet sufficiens fundamentum, concipiendi naturam secundum so-*

lam convenientiam, seu secundum solam animalitatem, adeoq; faciendi universale generis, habet item fundamentum concipiendi naturam, secundum solam rationem, quæ differt à brutis, adeoque faciendi universale differentiæ. Tota ergo quæstio erit, de universali formaliter.

PROBARI solet 1. Conclusio ex 1. de Anima tex. 8. *Universale autem aut nihil, aut posterius, Anima*, ad quem locum commentatur Avicenna quòd Intellectus faciat in rebus universalitatem. Et 12. Metaph. conc. 8. idem inquit: *Universalis esse collecta ex particularibus, in intellectu, qui facit eam intentionem.* Responderi posset, Aristotelem loqui de universali Logico, quod non est nemine cogitante, addit enim Arist. *Similiter autem* (intellige posterius est anima) *si quid commune aliquid prædicetur.* Restaurari posset hoc argumentum, quia in eo solo statu natura est universalis formaliter, in quo est etiam prædicabilis, prædicabilitas enim est passio necessaria universalis; consequenter universalis actu, debet esse passio, prædicabilitas actu, sed secundum respondentem natura non nisi in statu abstractionis habet prædicabilitatem actu, ergo non nisi in eodem statu, habebit & universalitatem actu.

PROBAT 2. Arriaga. Implicat naturam aliquam à parte rei esse unam in se unitate rigorosa, & eandem esse multiplicem & divisam, in eadem ratione, sed hæc requiritur ad universale, ergo illud implicat à parte rei. Major inquit est evidens. Minor ab omnibus conceditur. Consequentia legitima.

RESPONDETUR. Minorem à multis negari, ut ab iis qui dicunt unitatem convenientiæ sufficere ad universale. Item ab iis, qui dicunt sufficere unitatem formalem, quam appellant Minorem numerali.

PROBATUR 3. Conclusio. Non datur à parte rei in individuis nemine cogitante actu natura, ab individuis & differentiis distincta, quæ sit per modum unius indivisi formaliter, ergo non datur universale à parte rei, hoc enim quod continet Antecedens venit nomine universalis, apud oppositos. Antecedens probatur. Quia & esset nemine cogitante actu, ista natura ab individuationibus & differentiis distincta, ut supponitur, & non esset nemine cogitante distincta, quia id quod correspondet objecto, vi abstractionis actualis, non est nemine cogitante, Natura autem sic distincta, est illud, quod respondet abstractioni actuali, quod totum probatum est, ubi actum de distinctione ex natura rei.

CONFIRMATUR Probatio. Quia si daretur natura dicto modo distincta, sequeretur aliquid implicatorium, implicat enim, quando aliqua sunt idem realiter in creatis, & si quid formaliter uni formalitati competat, ut non comperat

in sensu reali, etiam alteri formalitati, sibi identificata, & ita realiter animalitas Petri, est rationalitas, sed si esset natura animalis condistincta nemine cogitante ab hæcitatibus, conveniret aliquid uni formalitati, quod in sensu reali, non conveniret alteri sibi identificata, ergo si daretur natura universalis à parte rei, sequeretur aliquid implicatorium. Minor immediata probatur. Conveniret naturæ esse commune formaliter, & ne in sensu quidem reali conveniret id hæcitatibus, non enim illa potest esse realiter communis, hoc ipso enim, non esset hæcitas, ergo conveniret aliquid uni formalitati, quod non conveniret alteri, etiam in sensu reali.

Item per oppositos non datur à parte rei universale Logicum, ergo nec dabitur universale Metaphysicum, quia utrumque importat naturam unam, distinctam à differentiis, & individuationibus, ergo si implicat natura talis in ordine ad universale Logicum absque mentis operatione, implicat & in ordine ad universale Metaphysicum.

PROBATUR 4. ex Suar. Si esse universale convenit naturæ realiter, aut convenit per se, aut per accidens, si per se, ergo hoc convenit etiam omnibus individuis, quod enim convenit per se superiori, convenit & inferioribus ejusdem, consequenter, unicuique individuo, convenit esse universale; si autem id convenit per accidens, cum hoc accidens non sit futurum reale, debet esse accidens rationis, adeoque non nemine cogitante.

PROBATUR 5. Non datur nemine cogitante actu natura à parte rei distincta à differentiis, ergo nec dabitur actu à parte rei universale Metaphysicum. Antecedens probatur, quia aliàs daretur etiam natura præscindens ab esse rationali, & irrationali, idque nemine cogitante, quod non potest dici, quia non datur natura, nemine cogitante actu præscindens ab esse creati & increati, ergo nec præscindens, ab esse rationalis, & irrationalis. Consequentia probatur, quia natura, vel præscindit ab omnibus differentiis. Ergo præscindit etiam ab esse creati & increati, vel non præscindit ab omnibus, da ergo rationem, cur potius ab his, quam ab illis abstrahat. Deinde doctrina oppositorum probat, naturam actu distingui ab esse creato & increato, de facto enim reperitur in Deo natura, & non cum differentia creati, quando autem una est formalitas apud illos sine altera reperibilis, aliq; definitione definibilis, hoc ipso est nemine cogitante actu distincta, parumque refert, quod illa formalitas sit Analoga, quia allata fundamenta ostendunt, etiam in talibus, reperiri debere distinctionem actualem, si autem concesseris, dari actu à parte rei, naturam, quæ neque sit creata, neque increata, in contrarium, phrasēs Patrum, universaliter asseren-

tium, quidquid est, aut est Deus, aut creatura. Rursus hoc ipso non dabuntur per oppositos analogia actu nemine cogitante, quia actu nemine cogitante distinguuntur à ratione conveniendi, & disconveniendi, sicut distinguuntur & ipsæ inter se convenientiæ, & disconvenientiæ. Ergo ulterius dabitur natura, de qua nemine cogitante actu verum sit dicere: est nemine cogitante, & tamen non est Deus nemine cogitante, nec est creatura nemine cogitante.

RESPONDEBIS 1. Sufficeret quod sit realiter creatura.

CONTRA est, hoc ipsum videtur esse durum, ut id quod est realiter creatura, non sit nemine cogitante creatura, meliusq; subderentur creatura Deo in esse dependentis, si de eo quod est realiter creatura, non possit nemine cogitante verificari independentia, quæ verificatur, de quo dicitur; nemine cogitante non est creatura, imò sequetur verificatio duorum contrariorum, est nemine cogitante actu creatura, quæ propositio verificabitur, ratione sensus realis; non est nemine cogitante actu creatura, quæ altera pars verificabitur titulo formalitatis ex natura rei, vi cuius, natura distinguitur ab esse creati.

RESPONDEBIS 2. Quod esse creati, transcendat rationes, & formalitates creaturarum, ideoque ab illis nemine cogitante non præscindat.

CONTRA est. Concesso quod esse creati, transcendat entitatem creatam, ex principiis tamen oppositorum, falsum est, quod transcendat rationem communem naturæ, si enim esset transcendens rationem communem naturæ, impossibile esset reperiri naturam, sine esse creati, cuius oppositum est in Deo; quod si non transcendit naturam communem, ergo ab illa distinguitur, cum ex sola transcendentia, deberet non distingui.

RESPONDEBIS 3. Non dari conceptum unum naturæ nemine cogitante.

CONTRA. Quia probat ratio allata debere distingui in principiis respondentis, naturam à differentiis creati & increati, si distingueretur, idq; nemine cogitante, hoc ipso dabitur conceptus unus essentiæ nemine cogitante. Deinde principia oppositorum probant, dari debere conceptum unum naturæ, quia datur definibilitas, ejusdem una, eaq; distincta, à definibilitate creati vel increati.

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR 1. Arist. 5. Met. tex. 8. & 12. Inter modos unius, quatenus aliquomodo unitatem speciei, & generis, quatenus aliquomodo unitates reales sunt, nam ibi, non erat sermo de intentionibus nostris, unde etiam, 7. Met. tex. 5. dicit, eandem esse rationem animalis, in omnibus speciebus.

RESPON-

RESPONDETUR. Arist. voluisse significare, quod omnia sensitiva in ratione animalis habeant unitatem convenientiæ, sed non dicit illam esse sufficientem ad universale formaliter, nec loquitur de genere, & specie, formaliter sumptis.

INSTABIS. Aristoteles i. poster. c. 5. divisit res in universales & singulares, quæ divisio esset mala, si universale non daretur à parte rei, esset enim divisio in membra, quæ non sunt actu distincta, cum non sit eorum alterum scilicet universale actu, prius est autem esse, postea condistingui.

RESPONDETUR. Posse bonam fieri divisionem in membra, quorum unum sit actu, & aliud non sit actu ante opus intellectus, ut dividi potest unum, in unum reale, & in unum intentionale, & ut dividitur Ens, in ens reale, & in ens rationis. Deinde dici potest, quod sufficiat, ut unum membrum divisionis sit actu, & aliud conditionatum, ita sicut dividitur Quantitas in finitam & infinitam, quia si esset possibilis Quantitas infinita, esset membrum dividens Quantitatem.

OBJICITUR 2. Ex S. Th. Natura Petri & Pauli potest definiri propriâ definitione, Ergo habet unitatem aliquam. Nam ex 4. Met. tex. 10. nihil definitur, nisi quatenus unum, sed unitatem, hanc non habet ab intellectu, quia nec definibilitatem, ex qua unitas hæc oritur, habet ab intellectu.

RESPONDETUR. Naturam Petri & Pauli, prout est à parte rei, non posse una definitione definiri, sed sicut duo sunt, ita duabus definitionibus debent definiri; possunt tamen definiri una definitione, prout substant nostris intentionibus, quæ possunt divisiones illas depurare, unde nemine cogitante, fundamentaliter tantum, sunt unâ definitione definibiles, non verò formaliter, & proximè.

OBJICITUR 3. Natura Petri & Pauli, non differunt essentialiter, non differunt enim ita sicut Petrus, & Bucephalus, ergo sunt unum specie.

RESPONDETUR. Disting. Consequens. Ergo sunt unum specie, id est conveniunt specie. Conced. Conseq. Sunt unum specie, rigorosè, & nemine cogitante, & unitate sufficienti ad universale. Nego Conseq.

RESPONDERI aliter solet. Neg. Conseq. ex hoc principio, eo quod similis sit huic: Gabriel & Michael, non sunt differentes Quantitative, ergo sunt unum quantitative, quæ consequentia etiam parte non tenet, ita nec tenebit consequentia adlati argumenti; sicut enim non potest alicui tribui unitas Entis alicujus, sine illo ente, cujus est unitas, unde quia in Angelo non reperitur entitas quantitativa, nec tribui ei potest unitas quantitativa; cum ergo in Petro non sit entitas essentialis Pauli, nec potest ei tribui unitas essentialis Pauli.

OBJICITUR 4. Natura humana, ex se habet formalem indivisionem, ergo habet unitatem formalem, quia in indivisibilitate unitas consistit. Antecedens probatur. Non habet ex se formalem divisionem, aliàs ubique eam haberet, & sine illa concipi non posset, ergo ex se habet formalem indivisionem.

RESPONDETUR. Naturam ex se, prout subest nostris conceptibus, habere indivisionem formalem, non autem prout est à parte rei, à parte enim rei, sunt ex se non nisi singularia, formaliter divisa.

OBJICITUR 5. Universale fundamentaliter acceptum, non est formaliter singulare. Ergo est formaliter universale, quia omne, quod non est singulare, est formaliter non singulare, adeoque formaliter universale.

RESPONDETUR. Neg. Conseq. Ratio, quia non licet argumentari à termino negativo ad positivum, v. g. non est album, ergo est nigrum, nam viride est non album, & tamen non est nigrum, consequenter, nec ex eo, quia concederetur universale fundamentaliter acceptum, non esse formaliter singulare, rectè arguetur, quod sit formaliter universale. Hæc Consequentia tenet: universale fundamentaliter acceptum, est formaliter singulare. Ergo universale fundamentaliter acceptum, non est formaliter singulare, tenet in quam consequentia, quia est à contradictorio ad contradictorium. Porro ut vera sit hæc propositio, universale fundamentaliter acceptum non est formaliter singulare, non est necesse, ut jam sit formaliter universale, sed sufficit ut sit plura formaliter singularia. Unde secundum superius dicta, debet negari, quod universale fundamentaliter acceptum, non sit formaliter singulare, supple, conveniens cum alio singulari.

OBJICITUR 6. Identitas realis materiæ respectu ejusdem materiæ ad formas non impedit, quominus essentia actu possit abstrahere, à respectu ad formas actuales, ergo & identitas realis essentia cum individuis, non impedit, quominus essentia actu possit abstrahere, ab actualibus individuis.

RESPONDETUR. Neg. Antecedens. Nemine enim cogitante datur non nisi fundamentum hujus abstractionis, sed actu non abstrahit ab illo respectu.

INSTABIS. Si non abstrahit nemine cogitante actu entitas materiæ, ab esse respectivo, ergo æquè intimus & intrinsecus, est respectus ille, tam ad formas possibiles, quàm ad formas actuales vel accidentales.

RESPONDETUR. In re, æquè intimos esse illos respectus, neque enim alia sui entitate respicit materia possibilia, & alia sui entitate actualia, tota ergo diversitas erit, non nisi in ipsis terminis extrinsecis. Consequenter dicitur respectum ad illas formas duo dicere: Unum in recto, aliud

† Gg 4 in ob-

in obliquo; in recto dicit entitatem materiæ, & in hoc recto, tam respectus secundò essentialis, quos dicit materia ad formas posibles, quam respectus accidentales ad formas accidentales convenirent, nec ab hoc respectu abstrahit nemine cogitante materia, quia nec abstrahit nemine cogitante, à sua entitate. Aliud autem ille respectus dicit in obliquo, nempe ipsos terminos, nempe formas posibles, vel actuales, ita ut diversitas respiciendi, sit penes terminos, & ab istis terminis dicit materia distinctionem nemine cogitante.

OBJICITUR 7. Quod non est essentialis alicui nemine cogitante, non est illi essentialis, sed ipsi v. g. esse hominis, non est essentialis esse Petrum, ergo nemine cogitante, non est hoc illi essentialis, consequenter nemine cogitante, distinguitur à Petreitate.

RESPONDETUR. Quod à parte rei, homini alicui, sit essentialis esse Petrum, adeoque indistinctum ab illo, ita ut ly homo independentem à conceptibus nostris acceptum dicat, tanquam quid essentialis, in Petro Petreitatem, in Paulo Pauleitatem, totaque collectio illorum individuorum, erit homo independentem à nostris conceptibus acceptus.

INSTABIS. Datur nemine cogitante singulare, quod est relativum ad universale. Ergo debet dari, & ipsum universale, ergo non erit necesse, ut sit homini essentialis Petreitas, quia hoc ipso non esset nemine cogitante universale, sed sola singularia.

RESPONDETUR. Hoc non nisi sensu singulare est correlativum universalis, quia est illi oppositum suo modo, sed inde non sequitur, dari etiam debere à parte rei universale, quia datur singulare, nam finita quantitati est opposita infinita quantitas, & tamen data à parte rei quantitate finita, non est necesse dari quantitatem infinitam.

QUÆSTIO II.

De Actu Intellectus, per quem fit Natura universalis una.

Tota hæc quaestio manca erit nisi legantur in Metaphysica, dicta de Præcisionibus objectivis. Auctores, qui non tenent dari universale à parte rei, abeunt in hac quaest. in partes, cum quibus disceptandum erit.

DIFFICULTAS I.

An universale fiat, per actum confusè singularia cognoscentem?

Hurtadus, & cum secuti Arr. & Ov. docent, ita imbibi singularitates in natura humana, ut sine illis non possit cognosci, quamvis non sit

necesse, dum cognoscitur natura humana, clarè etiam singularitatem cognosci, licet sit necesse cognosci eandem confusè & implicite.

Punctum Difficultatis 1.

Quid tenendum.

DICENDUM est. *Naturam universalem, non fieri unam, per actum confusè singularia cognoscentem.*

PROBATUR 1. Iis rationibus, quibus suadentur in distinctionibus Præcisiones objectivæ.

PROBARI solet 2. Si natura universalis non aliud esset, quam singularia confusè cognita; sequeretur istius propositionis universalis, Petrus est animal, hunc esse sensum, Petrus est & Bos, & Homo, & Asinus, quia prædicatum universale generis non aliud esset, quam species confusè cognita, quod est absurdum. Deinde, si singularitates, & differentiae cognoscuntur confusè in universali, sequitur bis cognosci differentias, quando concipio Animal-Rationale, semel in animali, & postea in se ipsa, quod tamen est contra experientiam; Denique sequeretur, quod quando concipio animal, concipiam totum hominem confusè, quia scilicet confusè concipio rationalitatem, non dabiturque ex parte objecti aliud universale generis, ab universali speciei, sed erit tantum universale speciei. Neque est recurrere ad actum confusè cognoscentem, quia confusa cognitio non facit, quominus ex parte objecti, non respondeat differentia conjuncta generi, ergo nec faciet, quominus ex parte objecti universale generis, non sit universale speciei.

PROBATUR 3. Tum quia si non fieret universale, nisi per actum confusum, vel id idè esset, quia non habet vim intellectus præcindiendi objectivè, & hoc non, quia nec divina posset præcindere, quod est contra Arr. vel quia creatum objectum, non posset præcindi, & hoc non, quia creatum objectum præcindi objectivè, nullam involvit implicantiā. Tum quia titulo diversorum connotatorum potest apprehendi & denominari entitas per modum animalis, & titulo diversorum connotatorum, potest apprehendi & denominari rationalis. Ergo etiam titulo eodem, respondere potest ex parte objecti animalitas, & non respondere, ex parte objecti rationalitas, & sicut tu recurres ad diversa connotata, in salvando hoc, quod est clarè, & non clarè nosci; ita & in præsentati, recurretur ad diversa connotata, formalitatesque ex illis pullulantes. Tum quia si se ex parte objecti, prout præsentati, ita se haberet animalitas & rationalitas, sicut se habet ex parte objecti, prout representati lignum & Angelus, fieret tunc præcisio objectiva objecti, prout representati, sed de facto

facto ex parte objecti prout representati, ita se habent. Nam æquè non exerior sub termino lignum, respondere mihi, confusè Angelum, ut sub termino Animal, prout representato non exerior respondere mihi terminum Bucephalitas, videturque quod hoc sibi sit imponere, dicendo: quod hoc confusè cognoscam, licet experiar, nullo modo illud mihi representari, idque non tantum quoad vocem, sed & quoad essentialia prout representata.

OBJICITUR 1. Si non presentantur in natura universali singularia confusè, sed sola ratio communis præcisè, ergo poterit à Deo produci, hæc ratio præcisè, sine singularitatibus.

RESPONDETUR. Non omnia quæ separantur intentionaliter, posse separari, & seorsim esse realiter.

OBJICITUR 2. Non minus contradictoriè opponuntur cognosci, & non cognosci, quam produci & non produci, existere & non existere, sed repugnat existere animalitatem Petri, & non existere rationalitatem Petri. Ergo etiam repugnat, cognosci animalitatem Petri, & non cognosci rationalitatem Petri. Major probatur, quia particula non, quæ facit contradictiones, posita est in utroque exemplo supra id quod affirmabatur prius.

RESPONDETUR. Imprimis retorquendo argumentum, non minus contradictoriè, repugnat cognosci distincte, & non cognosci distincte, quam produci, & non produci, & tamen per oppositos, potest cognosci distincte animalitas & non cognosci distincte rationalitas.

Deinde argumentum multum probat, quia rationem substantiæ, probat ab oculo corporeo videri, dicerem enim, impossibile est produci Petrum & non produci, secundum rationem entis, & substantiæ, ergo impossibile est videri Petrum coloratum, & non videri secundum rationem entis & substantiæ, non minus enim contradictoriè hæc opponuntur.

Directè autem dici potest, quod non minus contradictoriè opponantur, cognosci, & non cognosci, respectu ejusdem formalitatis, quam produci, & non produci, secus si sumatur illud cognosci, & non cognosci respectu diversæ formalitatis, & disparitas est: quia si sumantur, cognosci, & non cognosci, respectu diversæ formalitatis, hoc ipso non erit vera contradictio propter alicuiusmodi, diversarum formalitatum; jam autem non potest in creatis idem produci, & non produci, quia non haberetur principium, per quod eximi posset à contradictione, ne de eodem verificentur illa contradictoria. Hoc enim principium, non possent esse diversæ Metaphysicæ formalitates, quia sunt ordinis Metaphysici, produci autem, & non produci, est ordinis phisici, non etiam illud produci, & non produci, eximeretur à contradictione, ratione diversarum virtualitatum in ordine ad prædica-

ta Physica, seu primo intentionalia: quia in creatis, talis distinctio non datur, aliàs daretur in creatis mysterium Trinitatis.

Ad illa contradictoria, existit, non existit, ne in divinis quidem datur virtualitas, quia existit, & non existit, est purum: *est & non est*, si est purum *est, & non est*, non poterit de uno verificari *est*, de alio *non est*. Si de alio verificari hæc non poterunt, verè contradictoria hæc erunt, adeoque implicabunt.

OBJICITUR 3. Nulla contradictoria possunt verificari de creatis, si autem, non per actum confusè cognoscentem singularia, universalia fierent, verificarentur contradictoria.

RESPONDETUR. Si nulla contradictoria possunt verificari de creatis, quomodo verificantur, clarè cognosci, non cognosci clarè, quomodo verificantur de eodem, acclive, non acclive, sed declive, quomodo verificantur, clarius se, quod dicitur de definitione, non clarius se, quod dicitur de definito, &c.

Deinde si rigorosè loqui velimus, non tantum in creatis, non possunt verificari duo contradictoria, sed nec in divinis, maxime enim inter alia verificarentur in his prædicatis: communicatur, non communicatur, producit, non producit, distinguit realiter, non distinguit realiter, quæ omnia non sunt contradictoria, nam non dicitur, natura non communicatur, natura communicatur, sed Paternitas v. g. non communicatur, nec dicitur natura non distinguit, natura distinguit, sed Paternitas v. g. distinguit, quod si affirmationis illius, & negationis, alia sunt verificativa, hoc ipso affirmatio illa & negatio, eximitur à conditione veræ contradictionis.

Denique si concedi deberet quod in creatis, non possent verificari duo contradictoria, id verum esset eo sensu, quia scilicet non potest v. g. verificari affirmatio de uno, quin in sensu reali verificetur de altero, identificato realiter.

Punctum Difficultatis 2.

An de eodem realiter possint verificari duo contradictoria?

AD defendendam hanc sententiam, examinanda sunt aliqua à recentioribus objecta, quæ in hoc ferme fundantur principio: De eodem realiter non possunt verificari duo contradictoria. Circa quam difficultatem.

ASSERO 1. In omni sententia verificari duo contradictoria, si præcisè contradictio spectetur penes terminos oppositos.

RATIO. Quia sententiæ in hac materia dividi possunt in sententiam tenentem præcisiones objectivas, & negantem præcisiones objectivas: sententia admittens præcisiones objectivas adhuc

huc est duplex; una Scotistarum tenentium formalitates ex natura rei actu distinctas, alia eorum qui admittunt distinctionem nonnisi ratione connotatorum, solumque ponunt fundamentum, actu hæc distinguendi. Omnes hæc admittunt contradictoria penes terminos præcisè oppositos. Nam in primis admittitur verificari hæc duo in divinis: produci, non produci: in sententia Scotistica admittitur hoc contradictorium, est formaliter animalitas, non est formaliter animalitas: quod etiam contradictorium pro statu intentionali admittitur à Connotativis. In sententia negante præcisiones objectivas & admittente nonnisi formales, admittuntur hi termini, cognoscitur clarè, non cognoscitur clarè sed confusè, cognoscitur in ordine ad hæc connotata, non cognoscitur in ordine ad hæc connotata: Potest item totus Petrus concipi in ordine ad hæc connotata, & totus concipi non in ordine ad hæc connotata: possum item cognoscere eundem Petrum clarè claritate discernente eum ab omnibus brutis dum cognosco rationale, & claritate non discernente eum ab omnibus brutis, dum cognosco animal.

ASSERO 2. *In nulla sententia verificantur duo contradictoria formaliter & simpliciter talia.*

RATIO. Tum quia impossibile est idem esse & non esse. Tum quia nullum argumentum probat id teneri ab aliqua Schola. Tum quia quando verificatur de divinis produci & non produci, non verificatur ratione ejusdem virtualitatis, quando verificatur de creatis responderet animalitas, non responderet rationalitas, idque ex parte objecti, verificatio illa est ratione diversorum connotatorum, ad quæ attendendo, formatur à ratione, nunc quidem formalitas animalitatis, nunc formalitas rationalitatis, ut alibi dicitur. Ergo in nulla sententia verificantur duo contradictoria formaliter & simpliciter talia.

ASSERO 3. *Tum primum verificarentur duo contradictoria simpliciter & præcisè, quando non tantum verificarentur termini contradictoriè oppositi, sed etiam verificarentur de eodem, quod ipsum adhuc non sufficit, sed est necesse verificari ratione ejusdem, unde debet verificari idem, de eodem, ratione ejusdem.*

RATIO. Quia illud ly impossibile est idem esse & non esse, nonnisi tenet, si dicto modo circumscribatur contradictio, unde v. g. produci & non produci est contradictorium in creatis, quia idem nempe produci, & non produci, de eodem v. g. homine, ratione ejusdem nempe realitatis, cum non habeat distinctionem virtua-lem, in ordine ad prædicata primò intentionalia, ratione inquam ejusdem realitatis verificabuntur, quod est impossibile; quæ virtualitas, quia intercedit in divinis, non sunt hæc simpliciter contradictoria. Sed hæc virtualitas non

debet esse ratione distinctionis realis in tertio, ut dictum in prima Parte contra Perez, & Esparza, quibus aliqui adnumerant Lugo & Arriaga, sed nullo fundamento, nam Arriaga ut constabit legenti nostram nonnisi sententiam tuebatur, nullusque locus pro hoc citatur Lugonis.

DICES I. Quibus conveniunt duo prædicata contradictoria iis necessariò convenit distinctio realis. Ergo impossibile est ut eidem rei realiter conveniant duo prædicata contradictoria. Antecedens probatur. Cui convenit aliquod prædicatum, convenit etiam id, quod est essentialiter inclusum in illo prædicato, v. g. cui convenit substantia, & in substantia includitur ens, eo ipso illi convenit esse ens, sed in prædicatis contradictoriis essentialiter includitur distinctio realis: quod ipsum probatur, quia in istis prædicatis invenitur est & non est, in hoc autem complexo est & non est, invenitur distinctio realis: quid enim patentius potest esse, quam quòd esse, distinguatur realiter à suo non esse.

RESPONDETUR. Habito imprimis respectu ad divina, negatur Major, nam Natura divina & Paternitas præcisè inter se comparata, habent prædicata contradictoria, nempe est communis, non est communis &c. neque tamen inter hæc est distinctio realis: & licet est & non est, respectu ejusdem virtualiter, arguat distinctionem realem, impossibile enim est idem esse & non esse, non tamen eam arguit, in diversis virtualitatibus, hocque significat ille terminus arguentis: esse distinguitur realiter, à ly, suo non esse. Si enim non sit suum non esse, hoc est ratione ejusdem, non erit necesse ponere distinctionem realem.

Habito rursus respectu ad creata. Distingui potest Major, quibus conveniunt duo prædicata contradictoria ratione diversorum connotatorum convenit distinctio realis, ratione etiam connotatorum distinctorum. Concedo Majorem: quibus conveniunt duo prædicata contradictoria ratione diversorum connotatorum, convenit illis distinctio realis, quoad id, quod dicit in recto illud connotatum. Neg. Major. Et ita convenit esse indivisibili entitati Petri, formaliter animal, ratione connotatorum operationum sentiendi, convenit item non formaliter animal, ratione operationum intelligendi, quæ duo connotata sunt distincta realiter: nihilominus ipsum rectum quod est Petrus, non admittit distinctionem realem, nec ex eo admittere debet.

Habito respectu ad divina & creata, itemque ad assertum prædictum distinguitur iterato Major. Quibus conveniunt duo prædicata contradictoria ratione ejusdem. Conced. Major, si non competunt ratione ejusdem. Neg. Major. Quia nec tunc erunt jam contradictoria. Veli si vis distinguere quibus conveniunt duo prædicata

dicata contradictoria præcisè sumpta contradictione, ex oppositione terminorum, illa distinguuntur realiter. Neg. Major: quibus conveniunt duo prædicata contradictoria simpliciter & formaliter talia. Conced. Major. Idem est quod dicitur in prima parte duo contradictoria proportionata arguere distinctionem realem, secus improporionata.

INSTAT I. Cum duo homines dicunt, unus, Petrum esse in foro, alter, Petrum non esse in foro, non idem realiter dicunt, non alia de causa, nisi quia sibi contradicunt. Ergo signum est, quod in duobus contradictoriis, inveniatur distinctio realiter.

RESPONDETUR. Distinguendo consequens distinctionibus præjactis.

De antecedente cum limitationibus sentientium, nam si Petrus replicetur, & sit in foro, simulque templo, qui illum videt in templo, potest dicere non est in foro, sed verificatio hæc, arguet quidem connotatam locorum distinctionem realem, non tamen distinctionem realem ipsius Petri.

INSTAT 2. Cur produci & non produci includat distinctionem realem, ratio est, quia in illis est aliquid esse, & simul negatio ejusdem esse, ergo verificatio contradictoriorum arguit distinctionem realem.

RESPONDETUR. Negando universaliter produci & non produci arguere distinctionem realem, nam reperitur in Natura & Filiatione, non tamen distinctis realiter, sed includere distinctionem realem si non detur virtualis distinctio, in ordine ad prædicata primò intentionalia, jam enim esset verificatio ratione ejusdem, unde quia hæc virtualitas non habetur in creatis, ideo in creatis productum & non productum distinguuntur realiter.

INSTAT 3. Posito quod affirmetur aliquid identificari realiter, & tamen convenire ei duo prædicata contradictoria, hoc ipso dum dicitur non de eodem verificari duo contradictoria, dicitur de eodem verificari duo contradictoria, quia affirmantur de subiecto involvente, duo contradictoria.

RESPONDETUR. Ad formalem, & simpliciter contradictoriam, non tantum requiritur ut affirmantur de subiecto eodem, sed etiam si sint prædicata primò intentionalia, necesse est illa verificari ratione ejusdem virtualitatis, si autem sint prædicata secundò intentionalia, ut verificentur ratione ejusdem formalitatis, vel ratione ejusdem connotati. Quando autem de Petro non potest dici produci eum ratione Petreitatis, non produci ratione humanitatis, id oritur ex eo, quia illi non convenit virtualis distinctio in ordine ad prædicata primò intentionalia, quæ illi convenire potest in ordine ad prædicata secundò intentionalia. Argumentum quod petitur ex eo, quia destrueretur tota forma syllogistica alibi solvitur.

DICES 2. Etiam duo contradictoria secundò intentionalia non possunt verificari de formalitatibus realiter identificatis. Quod probatur. Non minus sunt repugnantia sibi cognosci & non cognosci, ac sunt mutuo sui destructiva currere & non currere, quia utrumque includit esse & negationem ejusdem esse, quæ negatio cum sit malignantis naturæ, destruit illud oppositum sibi esse, unde quælibet contradictoria, est maxima, nec suscipit minus, ergo si currere & non currere de eodem verificari non possunt, nec de eodem verificari poterit cognosci & non cognosci. Quod ipsum in hoc fundatur, quia tota vis contradictionis non consistit in ratione intrinseci & extrinseci, sicut non consistit in ratione spiritualis vel materialis, sed consistit in conjunctione & negatione conjunctionis ejusdem prædicati cum subiecto.

RESPONDETUR. Retorquendo argumentum. Cum arguens admittit cognosci clarè animalitatem ratione diversi connotati, & non cognosci clarè sed confusè dum cognoscitur rationalitas per ordinem ad diversum connotatum, nos etiam admittimus diversa hæc connotata, cur ergo contradictoria illa, salvantur in principiis arguentis, & non salvabuntur in nostris, & si ad hoc confert diversitas connotatorum, cur non conferet virtualitas in ordine ad prædicata vel primò intentionalia, vel secundò intentionalia.

Ex dictis distingui debet major: quòd procedat de cognosci & non cognosci ratione ejusdem virtualitatis, formalitatis, connotationis, datur tamen virtualitas in creatis ad cognosci & non cognosci, quia hæc sunt secundò intentionalia; non tamen ad currere & non currere non replicati. Quia non datur in creatis virtualitas in ordine ad prædicata primò intentionalia. Dixi non replicati, quia alibi dicitur, replicatum, posse in uno loco currere, in alio non currere. Et licet negatio sit malignantis naturæ, malignat tamen non nisi supra quod cadit, cadit autem non supra unam virtualitatem, quia cadit non supra id, quod affirmabatur, affirmabatur autem una virtualitas, supra aliam autem virtualitatem cadit negatio, & licet præcisè consistat contradictio in conjunctione, & negatione conjunctionis ejusdem prædicati de subiecto, debet tamen id esse ratione ejusdem virtualitatis, formalitatis, connotationis.

INSTAT I. Non potest Petrus respectu ejusdem esse dexter & sinister, quantumvis hæc sint contradictoria extrinsecæ, quod sit à me visus & non visus, & tamen hæc sunt contradictoria extrinsecæ, & si agatur de prædicatis contradictoriis intentionalibus, non potest dici quod Petrus aliquo modo cognoscatur, & quod nullo modo cognoscatur, ergo nec possunt verificari secundò intentionalia contradictoria.

RESPON-

RESPONDETUR. Defendendo terminos eorum qui admittunt distinctionem virtualem in ordine ad prædicata extrinseca, negabitur Antecedens, nam potest replicatus Petrus in uno loco esse dexter, in alio sinister, secundum aliam & aliam collocationem, si illi in illo loco conveniat sed replicato. Sed attendendo ad terminos quos in hac materia tanquam proprios usurpamus, cum esse dextrum & sinistrum non sint contradictoria secundo intentionalia, h. c. petita per ordinem ad intellectum & voluntatem, falsum erit in nostris principiis Antecedens, imò in nostris principiis, si posset Petrus non replicatus esse dexter & sinister simul, hoc ipso haberet virtualem distinctionem in ordine ad prædicata physica & primò intentionalia. Potest tamen per nos hoc convenire ut Petrus aliquo modo cognoscatur secundum unam formalitatem, & non cognoscatur secundum aliam ullo modo. Concessa nihilominus hac distinctione virtuali in ordine ad prædicata secundo intentionalia, non erit necesse concedere eam, ad hæc duo salvanda: aliquo modo cognosci nullo modo cognosci, quia hæc sunt formalia contradictoria, Ly enim nullo modo cognosci, excludit, cognosci ratione cujuscunque formalitatis cognosci: non cognosci autem ratione Animalitatis, non excludit cognosci ratione rationalitatis. Et sicut data in divinis distinctione virtuali in ordine ad hæc prædicata: Natura communicatur, Paternitas non communicatur, non est necesse concedere distinctionem virtualem, in ordine ad hæc prædicata: Natura communicatur, Natura non communicatur; hæc enim essent formalia contradictoria; ita neq; est necesse admittere hæc contradictoria: aliquo modo cognosci, nullo modo cognosci, quamvis ut dictum à nobis concedatur distinctio virtualis in ordine ad hæc prædicata secundo intentionalia salvanda: Animalitas noscitur, non noscitur Rationalitas.

INSTAT 2. Tam non potest idem subjectum indivisibile, subijci per partes prædicatis intrinsecis, quam non potest subijci per partes, prædicatis extrinsecis seu secundo intentionalibus. Ergo neutra horum contradictoriorum verificari possunt.

RESPONDETUR. Si aliquid sit indivisibile etiam per ordinem ad prædicata secundo intentionalia, nec habet in ordine ad hoc virtualem distinctionem, nego quod secundum unam partem subijci, secundum aliam possit non subijci prædicatis secundo intentionalibus, secus si habeat in ordine ad hoc distinctionem virtualem.

INSTAT 3. Produci & non produci sunt contradictoria sive comparentur cum animalitate sola, sive cum animalitate & rationalitate: itemque sunt contradictoria produci & non produci inadæquatè. Ergo & cognosci & non cogno-

sci, æquè ac illa, erunt contradictoria adeoque inverificabilia.

RESPONDETUR. Cum non detur virtualitas in ordine ad prædicata physica & primò intentionalia, fit ut supra idem, & ratione ejusdem, cadat illud produci, & non produci; sed quia datur distinctio virtualis in ordine ad prædicata secundo intentionalia, poterit supra unam virtualitatem cadere cognosci, supra aliam non cognosci, adeoque hoc fieri poterit, sine ulla contradictione, nisi spectando contradictionem, penes ipsos præcisè terminos oppositos.

INSTAT 4. Tam sunt idem realiter omnes formalitates, cum omnibus formalitatibus in eodem objecto indivisibili, quam sunt idem realiter, una formalitas cum altera formalitate in eodem objecto. Ergo sicut repugnat cognosci omnes formalitates sine omnibus formalitatibus ejusdem objecti, repugnat etiam cognosci unam formalitatem sine alia.

RESPONDETUR. Tam formalitas cum re, cujus est formalitas, quam formalitates inter se sunt idem realiter, sed ita sunt realiter idem, ut in ordine ad cognosci vel non cognosci dicant distinctionem virtualem adeoque attingibilitatem in ordine objecti, non attingendo aliam; quam distinctionem virtualem in ordine ad prædicata physica non dicunt in re indivisibili. Est quidem verum quod repugnat cognosci omnes formalitates non cognititis omnibus formalitatibus, vel aliqua non cognita, quia jam accipitur cognosci & non cognosci ratione ejusdem, secus si cognoscatur una formalitas non cognita alia, jam enim cognosci & non cognosci, non erit ratione ejusdem virtualitatis. Ut etiam supra dictum.

INSTAT 5. Negatio cadens supra modum tam facit contradictoriam modalem propositionem, quam faceret si esset simplex contradictio. Ergo si non possunt verificari hæc duo contradictoria cognosci & non cognosci nec verificabuntur hæc adæquatè cognosci non adæquatè cognosci.

RESPONDETUR. Æquè quidem sunt ista contradictoria quoad terminos præcisè oppositos, sed neutrum horum erit contradictorium, si posita distinctione virtuali in ordine ad prædicata secundo intentionalia, cadat supra unum cognosci, supra aliud non cognosci, si item cadat adæquatè supra unam virtualitatem unius realitatis, & non adæquatè supra aliam virtualitatem. Adde ista prædicata adæquatè cognosci non adæquatè cognosci, quoad omnes virtualitates, sunt contradictoria inverificabilia. Quia procedunt ratione ejusdem, adeoque non præcisè secundum terminos oppositos, sed involvunt in super formalem & simpliciter contradictionem: estque similis contradictio huic: ratione virtualitatis, A. cognoscitur, ratione virtualitatis, A. non cognoscitur.

Con-

Continuatur Solutio.

DICES 3. Impossibile est verificari duo contradictoria extrinseca & intentionalia, quin simul verificentur de eadem re contradictoria, physica & intrinseca. Ergo si hoc repugnat, repugnet & illud. Antecedens probatur, nam supposito quod cognoscatur animalitas Petri per hanc meam cognitionem expressivam hinc & nunc solius animalitatis, & non cognoscatur rationalitas Petri, sequitur quod animalitas Petri sit capax cognosci per hanc meam cognitionem expressivam solius animalitatis, & e contra rationalitas Petri, non sit capax cognosci, per hanc meam cognitionem expressivam solius animalitatis. Atqui esse aliquam rem capacem cognosci, & simul non esse capacem cognosci per eandem cognitionem, sunt prædicata physica & realia, omnis enim aptitudo & capacitas ad aliqua, est essentialis, & intrinseca rei. Ergo si eidem rei conveniunt prædicata intentionalia, conveniunt physica.

RESPONDETUR. Hoc argumentum urit primus contra nostra principia, meus in Philosophia & Theologia condiscipulus, per illius & admodum R. D. Moszynski, solutio illius data 1. parte disp. 2. n. 84. quæ hic repetitur. Neg. Antecedens. Major illius vera est, si cognita formaliter animalitate, non esset hoc cognitum in sensu reali rationalitas, secus si sit in sensu reali hoc cognitum rationalitas, consequenter & capacitas animalitatis ad cognosci, est in sensu reali capacitas rationalitatis ad cognosci, cum enim careant distinctione virtuali in ordine ad prædicata physica, & primò intentionalia, sit ut in sensu reali, capacitas unius, sit capacitas alterius. Jam autem in divinis capacitas distinctionis realis à Filio competit quidem virtualitati Paternitatis, sed ne in sensu quidem reali competit virtualitati Naturæ.

Aliâ methodo eidem difficultati ibidem satisfactum, quod capacitas physica ad aliquid physicum invehat distinctionem virtualem, in ordine ad prædicata primò intentionalia physica, qualis est capacitas ad communicari non communicari, produci non produci; sed capacitas physica ad aliquid intentionale, v. g. cognosci non cognosci, non invehit nisi distinctionem in ordine ad prædicata secundò intentionalia, quia capacitas specificatur ab eo, cujus est capacitas, ergo si sit capacitas intentionalium, fundabit distinctionem in ordine ad intentionalia. Rursus capacitas proportionatum aliquid debet invehire, hinc si sit capacitas intentionalium, non invehit distinctionem nisi circa intentionalia, hæc enim sola, sunt illi capacitati proportionata.

INSTABIS. Saltem sequerentur duo contradictoria intrinseca in ipsa cognitione, quæ solum terminaretur ad animalitatem & non rationalitatem Petri. Quod ipsum probatur: ista cognitio est expressiva intrinsece & essentiali-

ter animalitatis, & non esset expressiva rationalitatis Petri, quæ est idem realiter cum animalitate. Ergo huic cognitioni convenirent duo contradictoria intrinseca respectu ejusdem termini.

RESPONDETUR. Imprimis non ostenduntur hic duo contradictoria, quia ostenduntur ratione quidem ejusdem realiter Petri, sed non ostenduntur ratione ejusdem formalitatis & objecti, quæ representati, consequenter non jam verificabuntur duo contradictoria, præcisè & simpliciter.

Sed etiam posito, quod essent hæc duo contradictoria præcisè & simpliciter, nondum sequetur intentum, quia ad hoc ut sequatur in ipsa cognitione virtualitas intrinseca ut dictum etiam immediate, hoc quod competit uni realiter & formaliter, non debet competere, alteri etiam in sensu reali, quamvis sit idem cum illo realiter: ita enim habet in simili virtualitas divina, quæ sola est norma virtualitatis in ordine ad prædicata physica. Quia autem notitia expressiva animalitatis, in sensu reali est notitia rationalitatis, in sensu enim reali animalitas illa, est rationalitas; ideo adhuc in ipsa etiam cognitione, non erit virtualitas, in ordine ad prædicata primò intentionalia.

Hoc idem ex alio capite defenditur, si esset virtualitas in ordine ad prædicata physica & primò intentionalia in illa expressione, tunc deberet esse illa cognitio & animalitatis & non animalitatis sicut rationalitatis, idque ita, ut in sensu reali, illa eadem physice cognitio, non attingat rationale, deberet enim illa notitia habere proportionem cum virtualitate divina, in qua eadem physice, includitur produci & non produci, non produci v. g. naturæ, produci Filiationis; quia autem non ponitur illa notitia talis, ideo nec in illa ponetur distinctio virtualis, in ordine ad prædicata primò intentionalia. Et sicut in animalitate hominis identificante sibi negationem lapidis, non est distinctio virtualis, ita nec erit in notitia attingente animalitatem, negante autem attingentiam rationalitatis.

Addo pressius secundum nostra principia loquendo, animalitas Petri secundum rationem contractam spectata non potest præscindi objectivè, indubièq; in sensu reali notitia illius animalitatis, est notitia rationalitatis, est enim illa animalitas contractè spectata, ipse Petrus, qui etiam est rationalitas. Quod autem præscindit objectivè, est animalitas ut sic, quæ nec realiter ut sic spectata, est rationalitas, habentque se ista, sicut realiter distincta, sed pro statu Metaphysico, & æquè ad se comparantur ut signum & Angelus pro illo, ut dixi statu, si autem pro illo statu non sunt idem realiter tunc cognitio non poterit jam dici habens virtualem distinctionem intrinsecam, hæc enim deberet esse respectu objecti indistincti realiter.

COLLIGES. Quid sit sentiendum, de doctrina illorum, qui dicunt propositiones quidem contradictorias, debere esse de eodem subiecto, non tamen prædicata contradictoria, & ulterius inferunt si in creatis verificarentur, similia prædicata contradictoria, concedendum esse in creatis Mysterium Trinitatis. Siquidem concederetur verificatio prædicatorum contradictoriorum, licet non de eodem subiecto.

Quod attinet ad hanc propositionem illorum, non poterit esse lis inter nos, & illos nisi de voce. Nam quod contradictoria vera, debeant procedere de eodem subiecto, hæc doctrina id solum dicit, quod id debeat affirmari & totum, quod negabatur in altero, & hoc verificatur in veris contradictoriis, siue illa contradictoria sint propositiones contradictoriæ, siue prædicata contradictoria, adeoque etiam in prædicatis contradictoriis, ut salvetur contradictio, debent illa procedere de eodem subiecto, accipiendo subiectum, ut à nobis immediate acceptum est.

Rursus quando dico, Ens & non Ens, non sunt per oppositos propositiones contradictoriæ, sed tamen sunt termini contradictorii, tamen de eodem subiecto implicito, & æquivalenti procedit illa contradictio, quia subiectum implicitum, est ipsum Ens, supra quod, si non caderet negatio, non essent illa prædicata contradictoria, & ita si quis diceret: Ens & non album, non essent prædicata contradictoria, quia subiectum supra quod cadit *Non*, non est idem cum eo, quod altera contradictione pars inferebat. Porro tam Propositiones contradictoriæ, quam prædicata contradictoria, ut sint vera contradictoria, debet totum negari in altero membro, quod ponebatur in priori, quia autem siue sit subiectum formale, siue virtuale & implicitum, aliud & aliud, non totum, imò non hoc negabitur, quod inferebat alterum membrum, ideò nec foret vera tunc contradictio.

Dando autem rationem communem in qua convenient, tam propositiones contradictoriæ, quam prædicata contradictoria, ea quantum ad præsens, hæc dari potest, quia scilicet supra id, debet cadere negatio, quod affirmabatur. Unde in prædicatis contradictoriis, supra id cadit negatio, quod affirmabatur, v. g. in hoc contradictorio prædicato, Ens & non Ens, cadit negatio supra Ens, quod affirmabatur. Quia autem si de alio subiecto verificetur v. g. noscitur, de alio verificetur non noscitur, non supra idem cadet negatio, ideò sicut si in prædicatis contradictoriis, non supra id caderet *Non* quod affirmabatur, seu importabatur, non essent vera contradictoria, ita si non de eodem subiecto verificentur, non erunt etiam vera contradictoria prædicata.

Neque valet si dicas, si in contradictoriis, ad identitatem subiecti attendi debet, sequi exinde, quod possibilis sit Hircocervus, dici enim

poterit, quod sub alia formalitate sit Hircus, sub alia Cervus. Non inquam valet, nam imprimis Hircus & Cervus, non se habent ut formaliter contradictoria prædicata. Rursus si ex identificatione Ly communicatur, cum Ly non communicatur, non sequitur in divinis similis identificatio ac est Hirci & Cervi, in Ente rationis, nec sequitur in creatis, datis præcisionibus obiectivis in iisdem, & distinctione virtuali, in ordine ad prædicata secundò intentionalia. Imò cum careant creata, distinctione virtuali, in ordine ad primò intentionalia prædicata, qualia sunt Hircus & Cervus; ideò in creatis non poterit dari similis identificatio, identificationi Hircocervi in Ente rationis.

In divinis autem, data identificatione Ly communicatur, & Ly non communicatur, si dicas non dari identificationem similem Hircocervo, ideò quia conceptus obiectivus Hirci, non est conceptus obiectivus Cervi, adeoque quod nec conceptus ipsius *Communicatur*, sit conceptus obiectivus ipsius Ly *Non Communicatur*, idem & nos dicemus, in nostris principiis. Quia etiam conceptus obiectivus in creatis unius formalitatis, non est conceptus obiectivus, aliùs formalitatis. Si item dicas, ideò in divinis, data identificatione ipsius Ly communicatur, & ipsius Ly non communicatur, non dari identificationem similem Hircocervo, quia Ly communicabile non est per modum speciei completæ, sed se habet per modum complebilis, ab ipso, quod non communicatur: Ita & nos similem complebitatem, inter formalitates præcindibiles ostendimus.

Punctum Difficultatis 3.

Alia Argumenta pro actu confuso.

OBJICITUR I. Natura universalis formaliter est prædicabilis de singulis suis individuis, siquidem proprietas in separabilis universalis est prædicabilitas de multis. Atqui natura humana, una obiectivè seu abstracta ex parte obiecti à suis differentiis individualibus, non est prædicabilis de singulis individuis: Quod probatur; illa natura abstracta à singulis suis individuis vel esset prædicabilis tota & adæquatè sumpta de Petro, & tota de Paulo, vel esset prædicabilis inadæquatè & secundum aliam partem de Petro, secundum aliam de Paulo: non primum, quia natura illa abstracta & obiectivè, est natura omnium hominum, sed natura omnium hominum, non potest dici de Petro tota, & tota de Paulo, aliàs cum Petro identificaretur adæquatè natura omnium, & sic totum non esset majus sua parte, ergo natura illa abstracta obiectivè, non est prædicabilis adæquatè de quolibet individuo: si autem dicis esse prædicabilem inadæqua-

adæquatè & per partes, ergo illa natura abstracta ex parte objecti, constat pluribus partibus, quarum una sit idem adæquatè cum Paulo.

RESPONSIO communis est, totam naturam prædicari de Petro, nempe genus & differentiam, sed non totaliter, consequenter adæquatam prædicari naturam humanam, sed non adæquatè, si non totaliter, nondum sequetur totum, non esse majus sua parte. Rursus dici potest totam naturam humanam & adæquatè prædicari de Petro, sed totam totalitate Metaphysica, non physica, quia totalitas physica naturæ humanæ importat individua, totalitas autem metaphysica importat solum genus & differentiam, seu definitiva prædicata hominis; quia autem dum prædicatur tota natura humana metaphysicè spectata de Petro, retinet insuper suam universalitatem, adhuc totum, quod est universale, erit majus sua parte singulari Petro. Denique natura hominis abstractè & objectivè spectata, est natura omnium hominum, si hoc sensu accipiat: includit in se omnes homines, hoc est singula individua falsa est propositio, si autem hoc sensu accipiat: est quid commune singulis, vera est propositio: si autem singulis commune, hoc ipso erit majus singulis.

OBJICITUR 2. Unitas hæc naturæ abstractæ à singularibus dependet à cognitione nostra tanquam à causa. Quæro igitur vel hæc unitas dependet à cognitione nostra tanquam à causa efficiente, vel tanquam à causa formali. Non à causa efficiente, quia cognitio nihil efficit in suo objecto, ergo nec efficit unitatem in objecto, & si illam efficeret, certè non efficeret nisi singularem, nihil enim efficitur nisi singulare: si autem sit à cognitione tanquam à causa formali, ergo unitas illa naturæ, non se tenet ex parte objecti, sed ex parte cognitionis, & nihil aliud est, quam ipsa cognitio una, à cuius unitate natura denominatur extrinsecè una. Quod ipsum probatur: Quia quando effectus aliquis dependet ab alio in genere causæ formalis, ipsa causa formalis, est forma constituens & denominans tale effectum.

RESPONDETUR. Quicquid sit de hoc: an abstractio per ordinem ad constituendum universale, habeat se per modum causæ an per modum solius conditionis, sine qua non, indispensable requiritur: quantum ad præsens dici potest, quod universale sit à cognitione præscindente, tanquam à causa efficiente, sed improprie dicta: habet quidem formalitatem effectivæ, quia ipsius opus est, depurare naturam à differentiis, sed non habet formalitatem effectivæ propriè, quia non dat esse physicum & reale, sed merè intentionale, & reale non nisi prout opponitur ficto: & licet cognitio nihil physicum efficiat vel conferat objecto, efficit tamen & confert aliquid intentionale, & si illam efficeret physicè, indubiè non efficeret nisi

singularem, secus si efficiat intentionaliter, licet enim nihil efficitur physicè nisi singulare, efficit tamen intentionaliter potest, id, quod non sit singulare, sed depuratum à singularibus adeoque universale.

OBJICITUR 3. Universale nihil est aliud nisi unum & multa, in illa ipsa ratione, in qua sunt unum, sed multa individua confuse cognita, sunt unum quid & simul sunt multa in illa ipsa ratione in qua sunt unum. Ergo multa individua confuse cognita, sunt universale. Major est definitio universalis. Minor probatur: Nam imprimis illa individua sunt multa intrinsecè & ex parte objecti, sunt etiam unum quid in ratione hominis, extrinsecè & ex modo concipiendi.

RESPONDETUR. Explicando definitionem, quod unum sine addito, accipi debeat pro uno simpliciter, adeoque non pro uno per solam denominationem extrinsecam, debet autem illud unum esse multa non actu, sed aptitudine, in conceptu autem confuso, sunt multa actu objectivè. Deinde non apparet, quid si aliqua sunt multa, unà cognitione reddantur unum, sicut dum cognoscitur decem una cognitione, non evadit decem, unitas.

OBJICITUR 4. Per quam cognitionem auferitur pluralitas in objecto, in ratione hominis, per illam inducitur eo ipso unitas in ratione hominis, per actum autem confusum hoc fit, quia ex modo tendendi illius non apparent Petreitas, Pauleitas.

RESPONDETUR. Apparent confuse, & etiam si non apparerent, solum non apparere, faceret apparere universale, non autem esse universale.

OBJICITUR 5. Per cognitionem claram multorum v. g. Petri & Pauli fit divisio in Petrum & Paulum. Ergo è contra per cognitionem confusam multorum, fit indivisio.

RESPONDETUR. Fit indivisio confusa, adeoque adhuc est illic divisio, consequenter non est unitas. Deinde non per cognitionem claram fit divisio, sed per multipliciter in se, quam advertit intellectus. Ergo & indivisio per negationem multipliciter in se, ad quam advertit intellectus. Non est autem indivisio per negationem multipliciter in se, si lateant in objecto differentia.

DIFFICULTAS II.

Per quem Actum fiat Natura universalis una?

Tota hæc difficultas, necit secum eorum cognitionem, quæ dicta in Materia de distinctionibus, & in Materia de Attributis in Theologiâ, sit.

† Hh 2 Pun.

Punctum Difficultatis 1.

Post Præmissa proponitur defendenda sententia.

PRÆMITTO 1. *Intellectionem produci à potentia intellectiva, indigere tamen compleri.* Ratio, quia intellectus non est seipso completus ad cognoscenda objecta, siquidem ea quorum species non habet, non noscit, debuit ergo aliunde compleri, quæ completio debet referri in ipsummet objectum, unde cognitio dicitur esse partus potentiae & objecti.

PRÆMITTO 2. *Hanc completionem potentia intellectiva ab objecto, hoc modo fieri.* Cognoscit sensus singularia, quibus cognitis generantur phantasmata materialia, objectis cognitis similia; quod si objectum nunquam sit sensu perceptum, tunc ad similitudinem objecti sensu percepti, cuditur phantasma materiale, ut cum sub specie venerandi & coronati senis concipitur Deus Pater, hoc ipsum phantasma, quia est materiale, non est sufficienter proportionatum & completivum ad faciendam cognitionem spiritualem, hinc complentur hæc phantasmata materialia intellectum, ad objecti cognitionem, solum remotè & extrinsecè, quia scilicet posito phantasmate materiali, movetur intellectus ad faciendam qualitatem quandam immaterialem & spiritualement, quæ loco objecti non præsentis, compleat intellectum ad cognitionem objecti, quæ qualitas vocatur species impressa. Hæc ipsa species impressa, vocatur species, non quod sit similitudo, species, & imago formalis objecti, sed quod causet cum intellectu similitudinem, speciem & imaginem objecti, quæ appellatur species expressa; dicitur item impressa, quia non est quid transiens, sed imprimitur, manetque in intellectu.

PRÆMITTO 3. *Intellectum, qui ad imitationem phantasmatis materialis efficit speciem impressam, vocari intellectum agentem, eo quod efficiat hanc speciem.*

PRÆMITTO 4. *Intellectum, in quantum præ completus specie impressa, producit speciem expressam, seu intellectionem, vocari intellectum patientem, vel possibilem, non quod revera non sit agens, cum physicè producat intellectionem, sed quia sumitur, pro recipiente speciem impressam, & ipsam à se productam intellectionem, licet hi ipsi intellectus, inter se re non differant, de quo alibi &c.*

PRÆMITTO 5. *Quod intellectioni nihil aliud sit quam representatio in intellectu, eorum prædicatorum, quæ objectum in re continet, adeoque, est intellectualis expressio, & similitudo objecti, tunc enim hominem cognoscimus, quando prædicata illius, nobis in intellectu representantur, quod complexus est Aristoteles, docens, quod Intellectio, sit cognitum in cognoscente.*
Ex quibus

INFERES. Naturam universalem, non fieri unam proximè per Intellectum agentem. Ratio, quia per illum non fit formaliter objectum unum universale, cum potius compleat, ut possit fieri unum per Intellectum, consequenter fiet id proximè per intellectum possibilem. Ratio, quia ille producit speciem expressam, universalis naturæ representativam. Ut autem decidatur, per quemnam & qualem actum id fiat.

DICENDUM est. *Naturam universalem fieri unam, per actum abstractivum seu præcisivum, ex parte Objecti.* Ita Suar. d. 6. Met. l. 6.

PROBATUR 1. Auctoritate Arist. 5. Metaph. tex. 11. *Universe, inquit, quacunque divisionem non habent, quæ ratione non habent, eatenus unum dicuntur, ut si quatenus homo divisionem non habet, unus homo, si quatenus animal, unum animal, si quatenus magnitudo, una magnitudo.* Hinc sic formatur argumentum. Quatenus divisionem non habet natura universalis, eatenus fit una, sed per abstractionem, à quibuscunq; singularitatibus divisionem non habet natura universalis, tota enim divisio est à differentiis, ergo per abstractionem fit una. S. etiam Thomas op. 55. sic habet, *natura, quæ ante erat singularis, fit universalis, per actionem Intellectus, separantis eam ab his & nunc, & ceteris conditionibus individuantibus.*

PROBATUR 2. Suar. Homo fit singularis per differentias individuantes, ergo hoc ipso, quia ab omnibus illis præscindit, per actualement conceptum abstractivum, fiet universale unum formaliter. Et certè, si existeret à parte rei natura, ita, sicut objicitur Intellectui, esset universale in essendo tale, quale Plato fingeat, ergo & tunc est universale, licet in statu intentionali.

PROBATUR 3. Universale cum non habeat unitatem in statu reali, debet eam habere in statu intentionali, sed non habet illam, per actum confusè cognoscentem singularia, ergo debet habere, per actum præscindentem objectivè, nam inter hæc duo nihil datur in re medium, habent se enim, sicut non præscindere, ex parte objecti, & præscindere ex parte objecti, quæ duo sunt contradictoria.

Punctum Difficultatis 2.

Solvuntur Objectiones.

OBJICIT 1. Pontius. Natura, quæ per operationem Intellectus concipitur sine differentiis, vel est una in multis, & apta inesse multis, ante operationem Intellectus, vel non: si non, ergo nec per operationem Intellectus, erit una, apta inesse multis, quomodo enim operatio intellectus, facit illam talem, si non est de se talis? si verè est una apta inesse multis, ante operationem intellectus, ergo non fit talis per operationem abstractivani.

RESPON-

RESPONDETUR. Retorquendo argumentum de Universali Logico; Directè dici potest, quòd ante omnem operationem intellectus, sit natura & universalis & una, fundamentaliter, non formaliter.

INSTAT. Homo non ideò sit equus, quia intelligitur ut equus, ergo & natura non ideò sit una, quia intelligitur ut depurata, sine differentiis.

RESPONDETUR. Disparitatem esse, quia homo non prahabet in se fundamentum, ob quod concipiatur ut equus, prahabetur autem fundamentum, ob quod concipiatur natura una apta inesse multis, si scilicet concipiatur, secundum rationem communem conveniendi, depurando eam à differentiis.

OBJICITUR 2. ex Ovied. Incredibile est, quomodo fieri possit, ut ad positionem actus, quo à me concipitur animal sine differentiis, v. g. hominis & equi, confluant realiter, & intrinsecè, animalitas hominis, & equi, in unam realiter, & intrinsecè animalitatem, quomodo item posita cognitione, quā cognoscam rationem communem animæ rationalis, confluant animæ damnatorum cum anima Christi, & Beatorum, in unam massam, & faciant unam animam.

RESPONDETUR. Id esse incredibile, sed non sequi, ut positis præcisionibus objectivis debeat esse conventio realis & intrinsecè in eandem massam.

INSTAT I. Cognitio singularia cognoscens, nihil producit reale intrinsecum in illis, ergo cognitio cognoscens Petrum & Paulum simul, non potest illis dare unionem realem.

RESPONDETUR. Falsè supponi, quòd in universalis cognosci debeant simul Petrus & Paulus, nec sequitur vi actus præcisi objectivè, debere dari unionem realem Petri & Pauli, sicut nec datur per actum confusum, licet ab illo habeatur in illorum sententia aliqua unitas.

INSTAT 2. Sinatura v. g. Hominis, universalis fieret per abstractionem, deberet fieri talis, quæ prædicari posset de Petro & Paulo, sed non potest fieri talis, quia nihil est in Petro, quod sit realiter in Paulo, ergo implicat conceptus objectivus, qui secundum id quod importat, possit prædicari, de Petro & Paulo. Conceptus enim objectivus, potens prædicari de Petro & Paulo, debet inesse Petro & Paulo, sed nihil est in Petro, quod est in Paulo, ergo nullus est conceptus, qui possit dici de Petro & Paulo.

RESPONDETUR. Nihil est in Petro contrariè, prout est à parte rei, & physicè spectato, quod idem physicè sit in Paulo. Conced. Minorem. Nihil est in Petro, secundum rationes communes spectato, quod non inest in Paulo, secundum easdem rationes communes spectato. Nego Minorem.

INSTAT 3. Posita abstractione naturæ humanæ à Petro & Paulo, non resultat aliqua rea-

lis identitas in Petro & Paulo, ergo tantum resultat identitas intentionalis, quæ non potest ad hoc deservire, ut verificentur hæc prædicata de Petro, quæ ei non conveniunt ante abstractionem, quid autem Petrus & Paulus habent commune ante abstractionem.

RESPONDETUR. Identitatem intentionalem, quæ non habet fundamentum in re, non posse deservire ad verificationem prædicatorum; secus eam, quæ est cum tali fundamento. Unde conceditur ulterius, licet ego fingam Petrum cum equo habere identitatem, non poterit verificari, hominem esse equum, sed nego quod fingatur Petrus & Paulum in ratione hominis esse unum quid, cum huius habeatur fundamentum; quamvis fictum hoc foret, si dicerem; Petrum & Paulum habere eandem physicè realitatem.

INSTAT 4. Quando deficit abstractio, totum id habet Paulus & Petrus, quod habebat, quando erat abstractio, & tamen, quando deest abstractio, nihil est commune Petro, & Paulo, ergo nec est quidquam commune, cum est abstractio.

RESPONDETUR. Deficiente abstractione totum id habere Petrum & Paulum physicè, quod habebat, quando erat abstractio, licet non habeat totum id, quod habebat Logicè, seu Metaphysicè, quando enim abstractio non est, actu ratio communis non est.

INSTAT 5. De illa natura jam abstracta posset dicere Petrus, est mea Natura, Paulus etiam posset dicere: est mea, rursus non posset dicere Petrus; est mea natura, quia non est meum, quod Paulus habet.

RESPONDETUR. Posset dicere Petrus, naturam illam abstractam, esse suam, secundum rationes communes, potestque dicere Petrus, est meum, secundum rationes communes, quod Paulus habet, licet physicè natura Petri, non sit physicè natura Pauli.

OBJICIT 3. Arriaga. Natura sic præcisa objectivè, non potest prædicari intrinsecè, de quolibet individuo, ergo non est universalis. Antecedens probatur. Natura illa universalis, est natura realis omnium hominum, sed natura omnium hominum non potest prædicari intrinsecè de Petro tota, Petrus enim non habet naturas omnium, ergo.

RESPONDETUR. Universale esse naturam realem omnium hominum, non Physicè, sed Logicè, quia scilicet est ratio communis per intellectum depurata, idque ex præhabito fundamento, propter quod est quid reale illa natura, prout reale opponitur ficto, estque natura realis omnium hominum, hoc est conceptus objectivus, naturæ hominum, communis omnibus individuis; sed non est natura realis, id est, natura conflata ex singularitatibus, & realitatibus plu-

rium naturarum, prioriq; modo sumpta, prædicari potest, de singulis individuis, licet posteriori modo sumpta, non possit prædicari.

INSTAT 1. Illa natura, etiam præcisa, potest intrinsecè de Petro prædicari, sed de Petro, & Joanne, non potest prædicari nisi ejus natura, ergo quod correspondet etiam in natura abstracta, erat ipsamet natura Petri, sed per nos, quod correspondebat in natura abstracta, potest intrinsecè de aliis prædicari, ergo ibi correspondet, realiter natura reliquorum.

RESPONDETUR. De Petro & Joanne, non tantum prædicari potest ejus natura, secundum esse physicum reale, contractum spectata, sed etiam secundum esse Logicum, seu rationem communem; in natura autem universali, est esse Petri Logicè spectatum, hoc est esse naturæ communis Petro, & Joanni, adeoque de utroque dicitur.

INSTAT 2. Implicat realiter, idem intrinsecè, prædicari de Petro & Paulo, & tamen Petrum & Paulum non convenire in illo realiter, & identicè; intrinseca enim prædicata realiter identificantur, ergo si idem omnino de Petro & Paulo realiter intrinsecè prædicatur, erunt eadem res, realiterq; identificabuntur.

RESPONDETUR. Implicat idem realiter & intrinsecè, secundum rationes suas communes spectatum prædicari de Petro & Paulo, & tamen Petrum & Paulum, non convenire realiter & identicè in illa ratione communi; licet possint non convenire in ratione Physica contracta, & individua, consequenter de Petro & Paulo, idem Logicè prædicatur non Physicè. Repetito hæc dicta.

EXPLICATUR distinctio. Copula propositionis de necessitate indicat prædicatum inesse, aut non inesse subjecto, & ita in propositione, in qua Universale prædicatur de Individuo affirmativè, v. g. Petrus est Homo, indicat subjecto inesse rationem hominis; & in propositione negativa; homo non est lapis, indicatur ratio lapidis, homini non inesse. Cæterum tota indicatio fundatur in ipsa reali connexion vel disconnexion prædicati cum subjecto, neque enim particula Est, potest facere, ut quod non inest subjecto, insit illi, vel particula Non est, quæ negat aliquid de subjecto, potest facere, ut à subjecto, perfectio illa absit. Porro prædicata quæ insunt realiter subjecto dupliciter spectari possunt. I. Prout res spectatur secundum quod est physicè, contractè, à parte rei, &c. Et de re sic spectata, sic spectata prædicata, prædicantur, non nisi particulariter & singulariter, cum non nisi singularia, à parte rei existant. II. Prædicata, quæ insunt realiter subjecto, spectari possunt, secundum rationes suas communes, Metaphysicas, abstractas, & sic erit jam prædicatio universalis. Quod autem illa præ-

dicatione prædicandum aliquid, sit reale & intrinsecum, exinde desumitur, quia ratio communis seu ratio universalis formaliter, non nisi solo statu, seu esse objectivo, differt ab universali fundamentaliter, certè enim idem est universale in statu actuali, seu esse objectivo, quod erat in statu fundamentaliter, seu Physico, utrobique enim est v. g. homo, & quia ratio universalis formaliter, est ratio intrinseca singularibus, idè rationes communes & universales formaliter, erunt etiam intrinsecæ & reales.

INSTAT 3. Implicat ut ex partibus dividendis aliquid totum, quælibet earum, sit idem adæquatè cum toto, ita ut dici de illa possit totum, sed si universale esset unum per abstractionem, partes ejus divisivæ, essent v. g. Petrus & Joannes, & quilibet eorum esset idem adæquatè cum toto, siquidem de quolibet eorum posset dici verè: Homo, ergo universale, esse unum per abstractionem, implicat.

RESPONDETUR. Implicare, ut pars integrativa vel aliter constitutiva compositivè, alii dicunt subjectiva, sit adæquata toti, v. g. pars corporis; sed non implicare, ut pars potestativa, sit adæquata toti, nam in parte potestativa, continetur tota essentia divisi, unde etiam tota essentia conceptus hominis, habetur v. g. in Petro, consequenter de illo prædicari poterit.

Solvuntur reliquæ Objectiones.

OBJICITUR 4. Conceptus abstractivus, non potest conferre, ad unitatem universalis formaliter, quia si conferret, sequeretur quod universale Leonis, & universale Hominis, essent duo specie universalis, quod est absurdum, alias, essent jam plura, quam quinque universalis. Sequela probatur, quia cognitio per quam fit universale specificatum à Leone, differt specie, à cognitione, per quam fit universale, specificatum ab Homine, ergo & ipsa illa universalis differunt.

RESPONDETUR. Neg. à cognitionibus, specificari universalis, cum specificentur à suis prædicatis, quæ sunt non nisi quinque, sicut & definitiones universalium sunt non nisi quinque; licet depuratio universaliter à differentia, habeatur, non nisi à cognitione. Ex Ovied. etiam dici posset, quod cognitiones hæc differant specie Physica, quæ multiplex haberi potest, non differant autem specie Logicæ.

INSTABIS 1. Abstractio à singularitatibus non potest naturam facere unam, ergo abstractio non confert ad universalitatem. Antecedens probatur. Quia abstractio non attingit naturam, solum enim illius est præscindere hæc ceitates.

RESPONDETUR. Non quomodocunque hæc ceitates præscindit abstractio, sed præscindit à natura, adeoque facit illam unam.

INSTA-

INSTABIS 2. Conceptus abstractivus non facit naturam communem, ergo nec universalem, consequenter non confert ad universale. Antecedens probatur. Abstrahit naturam, à singularitate, & pluralitate, ergo & à communitate, quia communitas est, ex pluralitate.

RESPONDETUR. Communitatem physicam esse totam ex pluralitate, est enim non aliud, quam plura singularia; sed Logica communitas, hoc est universalis, habetur ex ratione, non determinata ad unum, quod in universali v.g. Hominis, habetur nonnisi ex conceptu abstractivo.

INSTABIS 3. Abstractio non confert ad universalem unitatem, quia universalis unitas debet esse positiva, unitas autem, quæ est per abstractionem, est solum negativa, quia est repræsentatio naturæ, sine differentiis.

RESPONDETUR. Non probari, quod unitas universalis debeat esse unitas aliqua positiva, & si positivitas aliqua illi tribui deberet, sufficit ut quid sit positivum in Recto, scil. quia est ipsamet Natura. Nec tamen sequetur inde naturam divinam, fore universalem, si sine differentiis cognoscatur, quia nec abstrahitur à pluribus, in quibus plurificata fuerit, nec in statu Physico, per plura inferiora multiplicatur.

OBJICITUR 5. Natura secundum se nec est una, nec multiplex, ut docet S. Th. c. 4. de Ente & Essentia, sed in statu abstractionis est natura secundum se, ergo in statu abstractionis nec est una nec multiplex.

RESPONDETUR. Naturam secundum se nec esse unam unitate individuali, nec multiplicem per individuationem, quia in illo statu & ab una, & à pluribus hæcceitatibus præscinditur; falsum tamen est, quod natura secundum se, non sit una, unitate formali, vicijus non potest dividi in plures essentias, præscinditq; à differentiis.

OBJICITUR 6. Universale non potest præscindere à differentiis, ergo per abstractionem præcisivam, non fit. Antecedens probatur, vel fit universale v.g. Homo, debet esse alicubi, ergo in aliquo individuo, non in uno, ergo in omnibus.

RESPONDETUR. Objectum istius cognitionis: Homo, secundum quod cognitio universalis est, habetur nonnisi in statu intentionali, actu & formaliter, licet objectum illius, fundamentaliter sit pro statu Physico.

INSTABIS 1. Id quod dicit Relationem transcendentalem ad objecta singularia, non potest fieri ab actu abstractivo, universale dicit relationem transcendentalem, ad objecta singularia, definitur enim per aptitudinem ad multa sibi essentialia. Aptitudo autem, est quid relativum ad singularia.

RESPONDETUR. Aptitudinem essendi in

multis duplicem spectari posse, imprimis positivam, quæ dicit inclinationem appetentiamque pluralitatem, & hæc necessario debet esse relativa; alia est aptitudo negativa, quæ est negatio determinationis ad unum, quæ nullam dicit formaliter relationem, sicque sumpta, competit universali, quod vel titulo verificandarum propositionum debet præscindere à multis, adeoque ab ordine ad multa. Deinde dici posset, aptitudinem formaliter acceptam, esse quid relativum, non autem radicaliter acceptam, & proprii ad formalem aptitudinem, ita ut istud esse Ad, accedat radicali illi aptitudini, ad eum modum, quo rationalis, formaliter accepta, est quid respectivum, secus si sumatur radicaliter. Denique dici posset universale quod est relativum, fieri quidem ab actu abstractivo, sed non cognosci ab actu abstractivo, sed à reflexo; potest autem bene ab uno actu aliquid fieri, ab alio cognosci, fieri scil. ab actu directo, nosci autem à reflexo.

INSTABIS 2. Universale & præscinderet à differentiis, & non præscinderet, quia si præscinderet à differentiis, concipi deberet, non in multis, nam hoc ipso non præscinderet à multis, & tamen concipi debet in multis, vel ipsa definitione universalis id poscente.

RESPONDETUR. Sinatura in multis concipitur, negativè, hoc est non determinata ad unum, non erit tunc necesse importari differentias, cum ab illis intelligatur depurata natura: quod si concipitur natura, una in multis positivè, non concipietur sine pluralitate, sed negò id fieri, cum fabricatur universale.

INSTABIS 3. Universale prout fit ab actu abstractivo, est totum, ergo habet partes, ejus partes sunt individua, ergo ab illis non potest abstrahere universale.

RESPONDETUR. Quod universale sit totum non subjectivum, quale est Corpus, quod indubiè sine suis partibus non potest concipi totum, sed est universale totum potestativum, stans in hoc, quod non sit determinatum ad unum, & quod de pluribus dici possit, hoc autem in se, non involvit pluralitatem. Ad maximum concedi potest, quod universale sit totum, habens partes, non individua, ut vult objectio, sed genus & differentiam sui definitivam. Quod si quæras, cur uno individuo impossibili reddito redderetur universalis natura impossibilis, cum tamen per nos natura universalis non dicat individua, hoc exinde est, quia uno individuo reddito impossibili, redduntur illius prædicata impossibilia, redduntur etiam rationes communes impossibiles, cum prædicata individui, sint etiam rationes communes. Oritur ergo hoc, non quia universale includit particularia, sed quia ratio communis universalis, est etiam ratio

individuis competens. Hinc æquè utrumque impossibile reddi debet, uno reddito impossibili.

OBJICITUR 7. Si per abstractionem fieret universale, sequeretur Petrum & Joannem, identificari realiter, identificarentur enim sibi, in aliquo tertio, nempe in illa ratione abstracta.

RESPONDETUR. Identificari illos realiter non physicè, sed realiter prout realiter, opponitur ficto, estq; commune ad aliquid intentionale, non enim fictè habent Petrus & Joannes rationem communem.

Punctum Difficultatis 3.

Inferuntur quadam ex dictis.

SUBNECUNTUR aliqua quæ sita, quasi Corollaria, Conclusionis prædefensæ.

QUÆRES 1. *An in Conceptu Formali, an in Objectivo consistat Universale?*

INFERES. *Consistere in Objectivo.* Ita Suar. D. 6. S. 3. Smigl. D. 4. q. 4. citans pro se S. Thomam & Scot. Formalis conceptus est ipsa mea cognitio attingens objectum; Conceptus autem objectivus hic sumitur, pro objecto cognitionis illius, seu pro eo, quod attingitur ab illa cognitione.

RATIO 1. Auctoritas Aristotelis, qui 1. Poster. tex. 25. *Non esse, ait, universale præter multa,* certè verò esset præter multa, si esset conceptus formalis, quinon esset multa, sed conceptivus multorum.

RATIO 2. Tum quia universale est natura una, apta inesse multis, conceptus meus formalis, non est natura una apta inesse multis, non enim conceptus hominis, qui est motus intellectus, est natura hominis. Tum quia natura universalis, est unum aptum dici de multis, conceptus meus formalis, non est unum aptum dici de multis, id enim quod est aptum dici de multis, debet inesse multis, conceptus autem meus, non inest multis, sed concipit id, quod inest multis. Tum quia sequeretur per oppositos propositionis hujus: Homo est animal, hunc esse sensum: Homo est conceptus meus formalis, de vivente sensitivo.

RATIO 3. Illi conceptui formali, concipienti naturam universalem, vel responderet natura universalis, vel non, si non responderet. Ergo ille conceptus formalis, est sine objecto, conceptusque formalis concipiens naturam universalem, non esset conceptus formalis concipiens naturam universalem, cum objectum ipsum, seu natura universalis illi non respondeat. Si autem responderet natura universalis conceptui illi formali, sic formabitur argumentum. Id quod correspondet conceptui formali, concipienti naturam universalem, est conceptus objectivus, sed universale est id, quod responderet conceptui formali concipienti naturam universalem. Ergo universale est conceptus objectivus.

DICES 1. Conceptus objectivus, non est quid unum in multis, ergo non est universale. Antecedens probatur. Est quid singulare, quidquid enim responderet ex parte objecti, est quid indivisibile.

RESPONDETUR. Quicquid responderet ex parte objecti, sed prout illud est à parterci, est quid indivisibile, secus si sumatur, prout subest nostris conceptibus, prout repræsentatur, &c.

DICES 2. Si sufficit ad universale, ut tantum repræsentetur aliquid, sine differentiis, sequitur pingi posse universale, quia etiam v. g. Rosa, repræsentat rosam sine differentiis.

RESPONDETUR. Neg. Sequel. quia quod est universale, debet, pro statu physico, physicè multiplicari, illa autem rosa picta, non est multiplicabilis physicè.

DICES 3. Quando Deus dicit: Petrus est Homo, prædicat universale, & tamen non est ibi conceptus prædictus, objectivus, nam Deus non præscindit.

RESPONDETUR. Deum non præscindere formaliter, præscindere virtualiter, de quo alibi.

ADDO. Hoc quod in præsentem negatur, non est, quod universale non fiat per conceptum formalem, sed quod non sit conceptus formalis.

QUÆRES 2. *An Unitas universalis sit Unitas intrinseca?*

INFERES. *Unitatem universalem, non esse quid extrinsecum, sed intrinsecum universali.*

RATIO. Tum quia in ipso illo conceptu objectivo, respondente conceptui formali, attingenti naturam universalem, vel latent differentiæ vel non; si latent, ergo fiet nonnisi, per conceptum confusum, quod impugnatum est; si autem in conceptu illo objectivo, non latent jam, ut suppono, intrinsecè differentiæ, ergo est ibi intrinsecè negatio differentiarum, ergo ulterius est negatio intrinseca divisionis, quæ à differentiis habetur, ergo & est intrinseca unitas. Unitas enim est negatio divisionis, cõsequenter unitas intrinseca, erit negatio divisionis intrinseca. Tum quia vel in solo conceptu formali, est depuratio activa à differentiis, vel etiam in ipso objecto, prout repræsentato est passiva depuratio, non potest dici, quod sit tantum depuratio activa à differentiis, aliàs esset actio sine passione; non potest etiam dici, quod sit depuratio passiva differentiarum, quia ista depuratio à differentiis, esse non potest, nisi in natura, quid enim depuraretur si non natura, si autem fieret depuratio à differentiis, ergo esset & negatio differentiarum in natura, si esset negatio differentiarum in natura, etiam negatio divisionis esset in natura, nam solæ differentiæ, faciunt divisionem, si autem esset negatio divisionis in natura, ergo esset & unitas in natura, ergo non esset unitas extrinseca,

seca, quæ est, à solo conceptu formali. Tum quia (redigendo prædictos terminos, ad viam negativam, id dici posset) si unitas universalis, esset unitas extrinseca, non intrinseca, nullo differret sententia hæc à negantibus præcisiones objectivas.

Caterum per hoc non negatur, quod unitas hæc intrinseca, in suo fieri, pendeat à conceptu formali.

DICES 1. Non hoc ipso, quia responderet natura sine differentiis, est jam una, sed id debet haberi, à conceptu formali.

RESPONDETUR. Sunt aliqua talia, ut uno illorum conceptu necesse sit concipi & aliud, licet illud non sit relativum formaliter, & sic qui concipit calvum, concipit negationem capillorum, qui concipit animal, concipit vivens sensitivum, quantumvis supra talia, nulla fiat reflexio. Sunt verò alia, quorum uno conceptu, non sit necesse concipi & aliud, qualia sunt distincta realiter, & quale per nos est animal, quo conceptu, non est necesse concipere rationale. Porro ea, quarum uno conceptu necesse est concipere & aliud, licet nulla fiat supra hoc reflexio, sunt quæ nunquam præscindunt à se, vel quorum unum, est definitio aliùs, & sic conceptu v.g. Homine, sine ulla reflexione concipitur animal rationale; est enim hæc definitio hominis. Quia verò unitas, est negatio divisionis, hinc concipere negationem divisionis, erit concipere unitatem. Et quia quando concipitur natura universalis, concipitur cum negatione divisionis per differentias, hoc ipso concipitur una.

INSTABIS 1. Natura universalis cognita, tantum habet, quantum in illa concipitur, non concipitur autem in illa unitas.

RESPONDETUR. Concipi illic unitatem, licet non explicite.

INSTABIS 2. Non eo ipso quia concipitur animal sine rationali, animal est irrationale, aliàs animal ut sic, diceret negationem rationalitatis, seu irrationalitatem. Ergo etiam, non ex eo, quia natura concipitur sine divisione, concipitur ut una.

RESPONDETUR. Disparitatem esse, quia animal præscindens à rationali, non est definitio irrationalis, vel ejus quod negat rationalitatem, jam autem, negatio divisionis, est definitiva unitatis; si definitiva, concepta negatione divisionis, concipietur unitas.

INSTABIS 3. Negationem divisionis esse objective in intellectu, est eam concipi ab intellectu, sed unitas est negatio divisionis, ergo eam esse in intellectu, est eam concipi ab intellectu.

RESPONDETUR. Ut sit negatio divisionis in intellectu sufficere, quod id implicite attingatur, attingendo naturam sine differentiis, si enim quæretur, quid sit cognitum? responderetur cognitam esse naturam præcisè secundum

se, secundum rationes communes. Si quæretur ulterius, quid est hoc cognoscere, naturam secundum se, responderetur, est naturam cognoscere sine differentiis, adeoque esse cognitam negationem differentiarum, consequenter & unitatem. Ulterius quod cognoscatur ibi non esse differentiarum, hoc inde est, quia non habituratur aliquis in construendo conceptu objectivo universalis, si se legitime reflectere velit, adverteret ad istud non esse differentiarum, consequenter id, etiam per actum directum faciet, nam reflexio ostendit, quid factum directo actu sit.

DICES 2. Si unitas esset intrinseca universalis, esset illi intrinseca, extra intellectum, vel in intellectu, non extra intellectum, quia intellectus, & mea cognitio, nihil potest intrinsecum in re adferre rei, non etiam unitas ista, est intrinseca universalis, in intellectu existenti, quia non attingitur.

RESPONDETUR. Hæc unitas intrinseca fundamentaliter accepta, est extra intellectum, formaliter autem accepta, convenit objecto prout representato, attingiturque; licet non clare, hoc est in actu signato, attingitur tamen in actu exercito.

DICES 3. De natura in statu abstractionis solum verum est dicere; quod non habeat divisionem, non autem quod dicat negationem divisionis.

RESPONDETUR. Non habere divisionem, & habere negationem divisionis verbis differunt, sicut ipsum: Non, & Negatio. Si ergo natura abstracta non habet divisionem, habet negationem divisionis; consequenter quando cognoscitur natura non habere differentias, cognoscitur cum negatione divisionis.

DICES 4. Implicat aliquid esse unum intrinsece, & tamen dividi, in plura intrinsece, ergo & implicat naturam illam esse intrinsece unam, & tamen dividi intrinsece.

RESPONDETUR. Quod implicet esse unum intrinsece in statu objectivo, & dividi in plura objective; licet non implicet esse unum objective, intrinsece, & dividi physice in statu reali.

DICES 5. Illa unitas intrinseca debet esse dependens à meo intellectu, si est dependens à meo intellectu, vel dependet in genere causæ efficientis, vel in genere causæ formalis: non primum, quia nihil intrinsecum in cognito, potest ponere mea cognitio; non secundum, quia ratio formalis cogniti, est ipsa cognitio, quæ se non ex parte cogniti tenet.

RESPONDETUR. Quod illa unitas intrinseca pendeat à cognitione, in genere causæ efficientis improprie, quæ licet nihil intrinsecum physice in cognito ponere possit, potest ponere intrinsecum intentionale, in objecto intentionaliter spectato, præsertim si ipsum illud fundamentaliter, nemine cogitante præhabeatur.

Potest

Potest etiam dici, quod dependeat unitas illa, tanquam à causa formali extrinseca à nostro intellectu, cum quo stat intrinseca unitas, resultans ex suppositione abstractionis objectivæ.

DICES 6. Nihil intrinsecum, potest poni in objecto à cognitione, sed illa unitas ponitur à mea cognitione: Ergo non est intrinseca.

RESPONDETUR. Nihil intrinsecum physice, potest poni à me cognitione, potest autem poni intrinsecum intentionale.

INSTABIS. Quod est intrinsecum alicui, semper est intrinsecum.

RESPONDETUR. Quod est intrinsecum physicum, semper est illi intrinsecum physice, & intrinsecum intentionale, est illi intrinsecum pro statu itidem intentionali, quod etiam competit unitati universali, quæ pro statu intentionali, in quo natura est depurata à differentiis, semper competit universali.

DICES 7. Negatio divisionis ponitur à mea cognitione. Ergo & unitas.

RESPONDETUR. Conced. totum. Inde tamen non sequitur, hanc unitatem non esse intrinsecam, nam etiam entitas hominis ponitur à Deo, & tamen est intrinseca homini.

Punctum Difficultatis 3.

An requiratur actus comparativus ad universale formaliter?

Voluerunt aliqui naturam abstractam universalem debere referri, tam ad actum quo est abstracta, quam ad inferiora, quibus est communis, sive hoc fiat per primam operationem, sive per iudicium affirmativum.

DICENDUM est. *Natura universalis non fit una per actum comparativum.* Ita Arriag. d. 6. S. 8. & c.

PROBATUR 1. Actum hoc comparativo, vel refertur ad inferiora, & actum abstractivum, natura jam universalis, vel nondum universalis, si universalis, ergo ad illam universalis, non requiritur comparatio; si non universalis, ergo potest aliquid esse commune & comparabile ad plura, quod non est universale, quod est absurdum, nam ratio singularis, non comparatur ad plura.

RESPONDEBIS. Quod cognitio reflexa cognoscat universale factum, non verò directa, sufficit autem ad istam cognitionem comparativam, directus actus.

CONTRA. Redit argumentum, quando sufficit ad istam cognitionem comparativam actus directus, vel comparabitur factum universale, vel non; si primum: Ergo ante comparisonem, jam est universalitas; si secundum, ergo potest esse comparatio ad multa, ejus, quod non est cum multis.

PROBATUR 2. Nulla est necessitas hujus

comparationis, si, quæ enim esset necessitas, esset, ut salvetur aptitudo universalis ad existere in multis, hæc salvari potest sine comparatione dicta, quia mea comparatio non facit illam aptam ineffe multis, sed supponit.

PROBATUR 3. Quia comparatio ista, vel debet esse in actu exercito, vel in actu signato: si in actu exercito, præter rationes allatas in contra, id etiam facit, quod comparatione illa deiciendum sit universale ab esse prædicabilis, quæ tamen prædicabilitas, necitur cum universali formaliter. Sequela probatur. Quia facit universale illud, non absque differentiis, nec absque multitudine, ergo deicit ab esse prædicabilis, non enim de uno, differentiæ in aliis reperibiles, verè prædicantur; quod si agatur de comparatione in actu signato, ostende in quonam Actus posito signetur, ut ita dicam hæc comparatio, duo insuper salvando, ut sit comparatio Naturæ, quæ sit universalis, & insuper quod sine hac comparatione, non foret objectum hoc universale.

Aliqui abstractivam comparationem, requirunt ad universale, qui terminus & aliquid inutile requirit, & involvit seipsum, requirit aliquid inutile, quia cum universale per illos, fiat per actum confusum, ad quid requireretur ista comparatio ad plura, cum confusè reperiantur ibi plura, item involvit aliquid implicatorium, quia actus ille, & esset unitivus differentiarum cum natura, siquidem esset comparativus, & non esset unitivus differentiarum, quia esset actus abstractivus.

OBJICITUR 1. S. Th. op. 55. dicit universale non ex eo est, quod sit in anima, sed ex eo, quod comparetur ad plura singularia eodem modo se habentia.

RESPONDETUR. S. Th. hoc solum significare, quod ad universale, non sufficiat illius aptitudo ad multa, quæ sit in anima, hoc est finitè, sed quod debeat esse vera aptitudo ad plurificari physice.

OBJICITUR 2. Sola comparativa habitudo, stat cum aptitudine ineffendi multis, ergo sola facit universale. Antecedens probatur, Abstractio illa, quæ non tollit pluralitatem, stat cum aptitudine ineffendi multis, sed sola comparativa multitudo, unit pluralitatem. Ergo.

RESPONDETUR. Negando Antecedens probationi ejus Majoris, quia in universali formaliter, non debet esse pluralitas sed abstractio ab illis ut dictum.

OBJICITUR 3. Per quod solum cognoscitur universale unum in multis, per illud fit universale, per solam comparationem, cognoscitur unum in multis. Ergo per solam comparationem fit universale.

RESPONDETUR. Negando per actum comparativum cognosci unum, cum potius deiciatur unitas & negatio differentiarum, & tamen hæc

hæc unitas, stans in negatione differentiarum, requiritur ad universale.

OBJICITUR 4. Quando dico: Petrus est homo, ly homo respicit subiectum, & tamen prædicatio hæc est universalis, ergo universale potest dicere comparisonem ad inferiora, & tamen manere universale.

RESPONDETUR. Dum prædicatum respicit subiectum, adhuc in illo prædicato non est unio differentiarum, non enim universale singularisatur in prædicato, si non est unio differentiarum, est adhuc in illa natura abstracta, negatio differentiarum, si in illa natura abstracta, est negatio differentiarum, est adhuc unitas. Jam autem quando comparatur universale abstractum ad inferiora, non est jam negatio differentiarum, adeoque nec unitas. Si autem vi actus comparativi non est jam unitas, actus ille comparativus non requiritur ad universale formaliter, sed potius destruit universalitatem.

OBJICITUR 5. Si non fieret universale, per notitiam communem comparativam, sciri non posset, quando communem rationem v.g. albedinis concipio; an illa sit universale Accidentis, an speciei.

RESPONDETUR. Sine ulla comparisonem fieri id potest, per antecedentem cognitionem, quæ noscit, in quali sint conditione Entis, singularia, à quibus fit abstractio, & quomodo inter se comparentur prædicatum & subiectum.

Punctum Difficultatis 5.

Notantur quedam de Fabricatione universalis, & ejus Unitate.

NOTO 1. Successionem actionum influentium ad universalis fabricationem. Omnis cognitio nostra dependet à speciebus impressis nisi sit cognitio objecti intimè naturæ suæ præsentis. Species impressæ à phantasmatibus, phantasmata à sensationibus, idè primò sensus percipit singularia, hoc singulare Equi, hoc singulare Asini, hoc singulare Hominis, attingitque similitudinem & convenientiam in actionibus, & motibus. Posita hac sensibili cognitione, formatur in phantasia materialis similitudo horum singularium & actionum, motuumque, post formatam similitudinem horum materiale, intellectus agens, format sibi speciem prædictorum, circa quæ discurrendo intellectus, advertit ea singularia in aliquibus convenire, in aliquibus differre, v.g. advertit intellectus, habere unitatem convenientiæ in vita, equum, asinum, hominem &c. quia de singulis verificatur vivens, sicut verificatur, & ratio sensitivi. Rursus advertit intellectus differre hæc singularia, quia v.g. Petrus ratiocinatur, equus non ratiocinatur, & advertendo in his singularibus rationes conveniendi, discernit illos, & depurat à rationibus differen-

di, formatque sibi rationem communem, in qua illa singularia convenient, & hæc erit ratio universalis pro genere sumpti, vel in qua differant, & hoc erit universale differentiarum, &c.

NOTO 2. *Quæ sit Natura unitatis requisitæ ad universale.* Universale, est unum aptum inesse multis, hinc posito quomodo evadat natura una, penetranda venit conditio ipsius unitatis. Natura illa in qua conveniunt v.g. individua hominis & equi, habet quandam indivisionem, essentialem, seu negationem divisionis essentialis, exigit enim non dividi in plures essentias, quæ exigentia non dividi in plures essentias, est unitas formalis, quæ quia non est conjuncta divisioni individuali, hæccitatibus, aut aliis differentis, quomodo est conjuncta à parte rei in statu existentie physice, idè, non solum est ibi unitas formalis, sed etiam eadem, est universalis formaliter.

NOTO 3. *Qualis debeat esse abstractio naturæ,* an v.g. quando abstraho rationem animalis, debeat fieri abstractio, à rationali, tanquam parte constitutiva speciei, quæ est homo, an verò debeat fieri hæc abstractio ab inferioribus hoc est Petro, Paulo, Andrea: de quo secundum diversas conditiones universalis decidendum est. Nam ut fiat universale generis, non solum ab individuis, sed etiam à differentiis debet abstrahi, quæ ipsæ sunt, quasi inferiora generis, cum sint constitutiva specierum, quæ sunt inferius genere. Si autem debeat construi universale speciei, sufficit fieri abstractionem ab hæccitatibus.

Punctum Difficultatis 6.

Quid tenendum de Recursu ad diversa Phantasmata in Præcisionibus Objectivis.

Pater Joannes Hostinski vir non solum claro sed & præclaro ingenio in explicandis præcisionibus Objectivis secutusque Guierdo, quem in fonte legere non licuit, recurrit ad diversa phantasmata, ita ut apud illum præscindere objectivè v.g. Animal à Rationali, sit, uti phantasmate Animalis, & non uti phantasmate Rationalis. *Circa quam doctrinam illius.*

NOTO 1. Non videri exactam hanc phrasim recurrere ad diversum phantasma Animalis in salvanda præcisione ejusdem à Rationali, potius enim debuisset fieri recursus ad speciem impressam Animalis idque ex eo; quia cum illa præcisio objectiva sit Actus intellectus qui vel tanquam principium, vel tanquam complementum supponit speciem impressam, cum phantasma sit nonnisi ad imaginationem seu sensum communem spectans, non debuit ad illud recurri immediate. *Sed quidquid sit de phrasibus, Insuper*

NOTO 2. Debere omnino tam tenentes præcisiones objectivas, quam eos, qui tumentur non-

nisi

nisi formales, recurrere ad diversa phantasmata seu diversas species.

RATIO, quia cum nonnisi Deus intuitivè visus sine specie impressa noscatur, & in hominibus in hac vita nonnisi ipsi experimentaliter notum motus animæ, sine specie impressa noscantur (quicquid sit de eo, quænam objecta Angelis sine speciebus noscant, & nos in altera vita noscituris) hinc etiam notitiæ, hæc quidem Animal, illa Rationale repræsentans, haberi non poterit, sine specie impressa & quidè diversa, quia diversæ sunt notitiæ. Concesso tamen quod in Præcisionibus objectivis, recurri debeat ad diversas species impressas. *Nihilominus*

NOTO 3. Supposito, quod lentur præcisiones objectivæ, non sufficit recursus ad solas species impressas, nisi recurrendo ad illas, merè tanquam ad Comprincipia vel complementa noscendi.

RATIO. Tum quia quæro vel præscindit homo ab animali & Rationali simul sumpto, vel non præscindit, si præscindit. Ergo tu non teneas præcisiones objectivas, cum hic ne quidem formales admittantur; si non præscindit objectivè homo ab animali & Rationali simul sumptis: Ergo neq; per diversam speciem impressam cognoscitur homo, per diversam animal Rationali hoc ipso enim præscinderet objectivè, cum per te præscindere objectivè sit nosci per diversas species. Quod si non noscitur per diversas species, quærere restabit cur non?

quæ item sit ista identitas? exclusivæ etiam diversæ speciei impressæ in attingendo prædictum objectum. E diverso debet dari negatio istius identitatis, quæ fundabit diversitatem specierum impressarum, & hoc fundamentum quodcumq; erit, cur non fundabit etiam in ipso objecto prout repræsentato, & in statu intentionali relucente, diversitatem, adeoque præcisiones objectivas, quales à nobis defenduntur. Recurres ad diversa connotata; quærere restabit, cur hic diversa annotata non sint sufficiens fundamentum earum, quas communiter defendimus præcisionum.

Quod si adhuc recurreres, ideo dari diversas species impressas, quia datur distinctio virtualis, magis adhuc firmabis sententiam defendentem Præcisiones objectivas. Hæc Ratio id intendit, quod scilicet fundamentum sufficiens ad diversas species impressas, sit etiam sufficiens ad præcisiones objectivas, tales, quales à nobis defenduntur.

Tum quia diversæ speciei impressæ de animali, & distinctæ à specie impressa de Rationali, vel respondet notitia diversum objectum repræsentans, licet in eodem realiter, vel non respondet; si non respondet diversum objectum: Ergo otiosa illa erit diversa species, cum sicut species ordinatur ad repræsentandum objectum, ita species diversa, debeat ordinari diversum objectum repræsentandum, aut prius

alio modo repræsentandum. Imò si non respondet diversum objectum, nec jam tenebis præcisiones objectivas, cum præcisiones objectivæ stent in notitia diversum objectum repræsentante, licet cæteroqui cum alio objecto sit idem realiter; si autem diversæ speciei impressæ respondet diversum objectum, cæteroqui identificatum à parte rei alteri firmitati, quærere restat, quid hic ultra asseratur, quod non sit assertum in defendendis (ut supra) præcisionibus objectivis, cum agendo de fabricatione universalis, longè ante motam litem de recursum ad diversa phantasmata, suppositum à nobis sit, esse diversam speciem impressam Animalis, à specie impressa Rationalis.

Tum quia accipiamus speciem impressam animalis videtur, quod illa ipsa in individuo, possit repræsentare animal sive illud comparatur ad rationale, sive comparatur ad lapidem, esset enim hoc multiplicare species sine necessitate, & si esset inter has species aliqua diversitas, esset ea, quia species de Animalis, comparatè ad Rationale est species involvens in se identitatem Animalis cum Rationali, hoc autem involvere, destruit totam rationem præcisionum objectivarum, quia in se importabit relucenscentiam etiam differentiarum, ex illo ordine, quem dicit identificationis cum illis. Unde etiam infra dicetur, aptitudinem Universalis, non esse aptitudinem Positivam, quia aptitudo Positiva, infert Differentias, quæ destruant rationem Præcisionis objectivæ à differentiis. Hoc

supposito quod eadem species quæ repræsentat Animal comparatum ad lignum, quæ repræsentat animal comparatum ad Rationale. Ergo illud cum suavi, cum modo sibi repræsentandi proprio repræsentabit illud. Ergo excepto hoc, quod Lignum & Animal in statu reali non dicant identitatem, cum dicat identitatem Animal in statu reali cum Rationali nulla alia erit diversitas, nam si quæ esset jam non eadem species, illa repræsentaret, alia enim vi & modo repræsentaret, & tamen vis & modus repræsentandi est identificatus speciei impressæ. Quod si pro statu intentionali ita se habet animal comparatum ad lignum ac comparatum ad Rationale pro statu intentionali, dabuntur Præcisiones objectivæ planè eæ, quas defendimus.

Tum quia, sicut potest Deus producere homines solo numero distinctos, & saltem divinitus ponere duas albedines in eodem pariete, ita potest producere in eodem intellectu duas species impressas repræsentativas Animalis, distinctas autem numero & realiter. Producat intellectus informatus illis speciebus, duas notitias ejusdem animalis, illæ notitiæ erunt distinctæ realiter, cum tamen repræsentent idem animal, non erit ibi Præcisio objectiva, sed tantum duæ diversæ notitiæ, & tamen procedent à diversis & distinctis realiter speciebus: Ergo recursus ad di-

ad diversas realiter species impressas, non salvat Præcisiones objectivas, sed est necesse in ipsis objectis ponere diversas formalitates, virtualitates, Præcindibilitates, quæ est ipsissima Sententia Præcisionum objectivarum prout defenduntur.

Tum quia sicut dantur in intellectu Angelico species impressæ Universaliores, ita possunt dari & in intellectu humano, & si eas neges possibiles in intellectu humano, procedat argumentum de intellectu Angelico, qui potis est præcindere objectivè in aliqua saltem materia; quo posito sic urgetur. Ponatur species impressa virtute continens & speciem impressam Animalis, & speciem impressam Rationalis, cum vi & energia ita præsentandi Animal, & ita præsentandi Rationale, sicut cæteroqui species distinctæ realiter natæ sunt repræsentare; ad eummodum quo faciunt species universaliores Angelicæ vel sensus communis adunans in se perfectionem sensuum particularium, potensque producere sensationes consimiles illis, quas produciunt sensus particulares. Si illa species universalis continet in se perfectionem speciei impressæ animalis & speciei impressæ Rationalis, tunc illa species æquè repræsentabit præcisum objectivè animal & Rationale ac repræsentarent species distinctæ realiter, hoc ipso enim si non posset illas species repræsentare Animal præcisum objectivè non esset species universalior nec virtute continens illas alias. Quod si illa species quantumvis una realiter, potest repræsentare objectum præcisum objectivè: Ergo in præcisionibus objectivis, non habetur ratio Præcisionis, à phantasmatibus diversis, cum posito uno phantasmate adhuc possit intervenire Præcisio objectiva. Tum quia potest Deus assumere, ut species Animalis, producat cum intellectu vel compleat eundem miraculose in ordine ad ponendam cum intellectu notitiam Rationalis, præcisam objectivè ab Animalis, si enim potest divinitus in genere Efficientis assumi ad hoc lignum (supposita potentia obedientiali) multo magis id poterit species prædicta. Quod si ad notitiam præcisæ objectivè Rationalitatis ponendam, potest assumi species animalis, quæ cæteroqui viribus suis relicta potest comproducere vel complere intellectum in ordine ad ponendam notitiam Animalis præcisæ objectivè: Ergo præcisio objectiva, non stat illo solo recursum ad diversa phantasmata, sed est necesse partibilitatem in ipso objecto reperire, quod est ipsissima sententia præcindentium objectivè. Tum quia nulla particula definitiva speciei impressæ deposcit id ut species impressa non supponat sed conferat partibilitatem objecto: Ergo per recursum ad illam immerito salvatur partibilitas objecti, licet ad partibile objectum, ut in actum reducat, sit necesse

ponere re aut virtute speciem impressam diversam.

Punctum Difficultatis 7.

Satisfit suppositis in oppositum.

PRÆdictus sacra Theologiæ Professor.

SUPPONEBAT primò ex Izquierdo intellectum nostrum pro hoc statu omnia objecta insensata (qualia sunt formalitates secundum se spectatæ & respondentes pro statu intentionali) concipere ad instar sensibilem, subserviente tunc intellectui vi imaginativâ, ac pro re insensata intelligenda, speciem materialem seu phantasma substituente: in quo tanquam exemplari & imagine, objectum illud intellectus contempletur, ad eum modum, quo dum cognoscimus Angelum, fingimus illum tanquam juvenem alatum, & per modum aliûs aliter quam est in se, per alienas species cognoscimus. *Hoc suppositum*

NON SATISFACIT plenè. Quia licet ex modo operandi animæ essentialiter determinatæ ad corpus, sequitur etiam intellectionem illius debere esse dependentem à phantasmatibus, idque etiam circa objecta insensata. Cæterum hoc contemplari objectum in specie sensata tanquam in exemplari, parit suam difficultatem: nam vel est res de specie sensata impressa, hæc non est exemplar nisi causativè completivè &c. ut scitur ex Animalisticis, quomodo ergo in illa, tanquam in exemplari, contemplabitur intellectus objectum insensatum. Si autem sit res de specie sensata expressa, explicandum fuisset, cum intellectus concipiendo v. g. Angelum, sub specie juvenis alati, altius quid rimetur & censeat, interponatque iudicium, quod ille sit non aliquis juvenis alatus, illius notitiæ debet dari altior species impressa, quæ coëfficit vel complet intellectum ut formet speciem expressam illius ipsius altioris objecti, cur ergo non dicetur in illa etiam specie tanquam in exemplari noscere objectum insensatum, non sistendo solum in illo sensato exemplari.

SUPPONEBAT 2. Ut intellectus aliquid per speciem alienam cognoscat, à pluribus ad hoc principiis induci ac determinari potest: quæ principia aut sunt naturalia, quales sunt præviæ species rerum, quas mediis sensibus anima requirit, aut artificialia, quales sunt Scripturæ, Voces, & omnia signa ad placitum. Hinc quoties intellectus intendit rem intelligere, cuius speciem non habet, determinatur ad hoc à speciebus alienis, ex quibus format speciem sensibilem, in qua tanquam imagine objecti illud speculatur.

Hoc suppositum inexplicatum adhuc relinquit id, quod terigit impugnatio suppositi primi.

SUPPONEBAT 3. Objectum in statu intentionali ita multiplicari in plures formalitates realiter distinctas, utpote in pluribus realiter speciebus sensibilibus representatas, sicut de facto multiplicatur in vocibus sive scriptura: Voces enim sunt signa conceptuum interiorum, unde sicut distincta, realiter est vox Animal, & distincta Rationale, ita etiam in mente, objectum Animalis, distinctum erit ab objecto Rationalis. Ceterum ut hæc multiplicatio ejusdem objecti in mente per plures formalitates realiter distinctas sit præcisiva, debent prædictæ formalitates non representare totum objectum neque se habere sicut voces Synonymæ, quæ plures exprimunt idem objectum, cum tamen plus Una non significat quam alia. *Hoc suppositum*

NON SATISFACIT. Quia contra illud faciunt argumenta quæ superius sunt formata Notato tertio, quæ hoc præcipue intendunt ut inquirant. Unde acquirit intellectus jus per plures distinctas species impressas noscendi idem objectum, si illud non habet in se tam actualem quam virtuale multiplicatam, quam tamen negat Izquierdo (ut fertur) non admittendo distinctionem virtuale. Deinde cum universale fabricandum per species impressas non sit ipsamet species expressa, sed illud quod representat illa species: Ergo & præcisio objectiva, licet inferat conceptus distinctos realiter, tamen etiam attendi debet ad ipsum objectum quod illæ representant, quod objectum si excludit distinctionem virtuale, quomodo partibilitatem illam sui, per distinctos realiter actus se representantes patietur, quod item est fundamentum, ne distinctæ realiter species & phantasmata ita se habeant, ac se habeant, cum plures voces Synonymas representant. Denique ad salvandas præcisiones objectivas, secundum statum quæstionis hujus attendendum est non tantum ad notitias distinctas realiter, sed etiam ad idem realiter objectum: quæ attendentia ad idem realiter objectum, hic non explicatur cum illi distincti realiter actus, non identificentur in aliquo tertio actu realiter, cum tamen præcisiones objectivæ inferant identitatem realem suarum Formalitatum. Quando autem dicit prædictus Professor se admittere aptitudinalem quandam distinctionem in objecto, ad hoc ut possit aliter quam sit in se representari in mente, posseque illam vocari in latiori significatione virtuale distinctionem: quando inquam id dicit, videtur tandem relabi in sententiam nostram, licet præexplicarit usum specierum impressarum, deservientem præcisionibus objectivis, quem etiam nos non negamus.

DICES cum eodem. Etiam supposita virtuali distinctione negari non potest quod præscindendo aliquam formalitatem in objecto, ab alia realiter ipsi identificata, non attingatur

tunc objectum ut est in se; hæc autem attinentia objecti aliter quam sit in se, non potest commodius salvari, quam dicendo, quod objectum in se quidem indivisum, divisum tamen ac multiplex realiter appareat in mente per plura phantasmata. Virtualis autem distinctio, quia relinquit illam identitatem ac simplicitatem realem, non videtur evadere hanc sequelam, quod scilicet de eodem objecto, verificentur realiter duo contradictoria.

RESPONDETUR. Concedo quod in præcisione objectiva attingatur objectum aliter quam sit in se actu, licet non aliter quam sit in se virtualiter: si enim virtuale multiplicatam non haberet, nec præscindi posset: etsi præscinderetur fieret tunc cognitio erronea & falsa, quia difformis objecto. Concedo quidem quod interveniant tunc temporis distincta realiter phantasmata, sed ex præsupposita. Ut dixi Notato tertio multiplicatam virtuale. Et certe si objectum illud est indivisum, divisum tamen realiter apparet, ut asserit objiciens, omnis præcisiva cognitio, falsa erit & affinget multiplicatam realem formalitatibus, non habentibus multiplicatam realem. Neque tamen in nostris principiis de eodem objecto verificabuntur duo realiter contradictoria, idque ex eo: quia Animal v. g. pro statu illo intentionali spectatum, & præcisum objective, in sensu reali est idem cum Rationali, si idem realiter: Ergo non infertur duo contradictoria realia.

QUÆSTIO III.

De Universalis Aptitudine, & Prædictabilitate.

Siquidem universale, est unum aptum inesse multis, cum jam de illius unitate egerimus, tractandum restat de ejus aptitudine. Hinc

PRÆMITTO 1. *Duplicem esse aptitudinem.* Quandam Positivam, quandam Negativam. Negativa aptitudo est, negatio repugnantiae ad aliquid. Positiva autem aptitudo est inclinatio & appetentia alicujus. Rursus hæc non repugnantia negativa, si concipiatur cum naturali inclinatione ad aliquid, vocatur aptitudo naturalis, qualis est aptitudo in igne, ut eat sursum; si verò conjungatur cum possibilitate quidem ad aliquid, sed contra suam inclinationem, vocatur aptitudo inquieta, qualis est in lapide non repugnantia ad motum sursum, licet ille potius vergat deorsum. Denique si hæc non repugnantia, conjungatur indifferentiae, vocabitur aptitudo neutra, & sic ad albedinem & nigredinem paries, habet aptitudinem neutram, seu indifferentiam.

PRÆMITTO 2. *Si rigorose loqui vellemus, ad significandum aptitudinem negativam, non satis commodus terminus usurpatur: Negatio repugnantiae seu non repugnantia. Ratio est, quia repugnantia*

tia est quid negativum, ex modo communi usurpandi, idem enim sonat repugnare hoc alicui, quod non convenire, non aptati, non consentire, quod si repugnare, est quid negativum in presenti, addita illi negatio, velly non, hoc ipso jam non exprimet, negativum aliquid, quia duæ negationes faciunt unam affirmativam, adeoque non erit quid commodum, ad significandum aliquid negativum, sed in hac difficultate, quæ est circa phrasim, loquendum cum multis.

PRÆMITTO 3. *Communitè auctores non requirunt aptitudinem aliquam Positivam, sed solam Negativam ad universale; certè enim Sol & Luna aliæque incorruptibilia, non habent positivam inclinationem ad multiplicationem suorum individuum, aliàs violentum esset Soli, quod non sit multiplicatus individualiter, & tamen, Sol & Luna, sunt naturæ universabiles.*

PRÆMITTO 4. *Possè adhuc poni aliam Positivam, aliam Negativam aptitudinem.* Negativa Aptitudo erit indeterminatio ad unum. Positiva autem stabit in ordine ad plura, illorumque appetentia.

PRÆMITTO 5. *Divisos esse Auctores in decidenda Questione præsentis, aliqui enim licet dicant unitatem formalem universalem non esse à parte rei, sentiunt tamen aptitudinem universalem, esse à parte rei; aliqui autem & unitatem, & aptitudinem debitam universali, negant à parte rei reperiri.*

DIFFICULTAS I.

An detur à parte rei aptitudo Naturæ universalis?

DICENDUM I. *Si nomine aptitudinis nihil aliud intelligas, nisi in inferioribus carentiam prædicati, impediens multiplicabilitatem, talis aptitudo datur à parte rei, nemine cogitante.* Eadem Conclusio, sic formatur: Si nomine aptitudinis intelligas, hoc, quod individuum, possit habere sibi simile individuum, item quod unum inferius, possit habere aliud simile inferius, talis aptitudo datur à parte rei.

PROBATUR I. Quia id non à meo intellectu pendet, quod Paulus sit similis Petro, nec à meo intellectu hoc pendet, quod careat Petrus prædicato impediens, ne simile sibi in natura individuum habeat, ergo non à meo intellectu pendet descripta aptitudo.

PROBATUR 2. Licitum est argumentari ab actu ad potentiam, ergo & ab actu ad aptitudinem. Ergo cum detur actu nemine cogitante multiplicitas individuum v. g. dabitur eorundem & aptitudo ad multiplicari, nemine cogitante.

PROBATUR 3. Independentè à cognitione creata, vel habet Deus vim multiplicativam hominis, vel non habet; si non habet, ergo à cogitatione nostra habet, quod sit omnipotens;

si habet, ergo illi multiplicativo, respondebit multiplicabile nemine cogitante, tanquam terminus multiplicativi, quod ipsum multiplicabile, est prædescripta aptitudo. Ergo sicut hoc multiplicabile datur nemine cogitante, ita & prædicta aptitudo, dabitur nemine cogitante.

DICENDUM 2. *Prædescriptam aptitudinem, non esse sufficientem ad universale formaliter.*

PROBATUR I. Unitas convenientiæ non est sufficiens ad universale, ergo nec aptitudo dicta, illius enim convenientiæ est quasi radix aptitudo prædescripta: Ergo multò magis illa ipsa aptitudo, non debet esse sufficiens ad universale.

PROBATUR 2. Aptitudo proxima ad prædicari, non habetur nemine cogitante, proximè enim evadit natura prædicabilis, jam depurata à differentiis: Ergo nec prædicta aptitudo, quæ habetur nemine cogitante erit sufficiens ad universale, ut ita proportionentur inter se, (cum nihil obstat) aptum esse, & aptum dici.

PROBATUR 3. Aptitudo universalis formaliter debita, est illius differentialiter constitutiva, proindeque nulli alteri debita, jam autem aptitudo prædicta, convenit & singularibus, ut habeant simile sibi singulare.

DICENDUM 3. *Si nomine aptitudinis intelligas, potentiam quandam actuabilem per plures differentias, nemine cogitante condistinctam à singularibus & differentiis, talis aptitudo non datur nemine cogitante.* Ita Suar. d. 6. Met. f. 4 n. 12.

PROBATUR I. ex Suar. Aptitudo illa posita à parte rei, in uno individuo, vel est existens, vel non existens; si non existens, ergo nec est à parte rei; si existens, ergo singularis & individua, consequenter non dicit capacitatem ad plurificari.

PROBATUR 2. Non datur distinctio ex naturæ rei. Ergo nec potentia actuabilis nemine cogitante condistincta differentiis.

PROBATUR 3. Si daretur aptitudo, quæ esset potentia quædam actuabilis per plures differentias, illa aptitudo & esset idem realiter cum natura humana singulari, ut supponitur, & non esset idem, ut probatur: si enim esset idem realiter, cum natura humana singulari, etiam singularitas in sensu saltem reali, deberet dicere aptitudinem ad esse in multis; sed non dicit, quia hoc ipso non esset singularis. Sequela probatur à pari. Quia est idem animalitas cum rationalitate, verum est in homine, etiam animalitatem ratiocinari in sensu reali, ergo etiam si idem est realiter, singularitas & aptitudo, verum erit in sensu reali; singularitatem dicere aptitudinem ad plurificari. Quod totum in hoc fundatur, quia quando aliqua sunt idem realiter cum exclusionem virtualitatis, in ordine ad prædicta primò intentionalia, tunc quidquid convenit uni formalitati, debet convenire & alteri in sensu reali saltem.

RESPONDEBIS. Ex adjuncto convenire singularitati, ut sit apta inesse multis.

CONTRA. Ei quod alicui est essentialia, nec ex adjuncto oppositum convenire potest, quia essentialia sunt immutabilia: Ergo, cum essentialia sit singularitati, esse singulare, nec ex adjuncto poterit reddi non singularis, seu plurificabilis.

OBJICITUR 1. Quod plura individua possint sub eadem specie multiplicari, non provenit hoc ab intellectu, sed ab ipsa rei natura: Ergo & aptitudo essendi in multis, non provenit ab intellectu.

RESPONDETUR. Conced. totum, & neg. hanc aptitudinem esse sufficientem ad universale; unde etiam consequentia procedit de aptitudine prima Conclusionem expressa.

OBJICITUR 2. Quod est in multis, est aptum inesse multis, natura autem v. g. humana, est de facto in multis.

RESPONDETUR. Etiam hoc argumentum procedere de aptitudine admissa à nobis, sed tanquam insufficienti ad universale.

OBJICITUR 3. Si natura ante omnem operationem, non habet aptitudinem ad plurificari in multis, nec mea cognitione eam habere potest.

RESPONDETUR. Etiam hoc argumentum procedere, de aptitudine, de qua prima Conclusionem aptitudinem autem tertio loco positam, potest habere à nostra cognitione natura, quæ à parte rei nemine cogitante, præstat fundamentum intellectui, ut illa natura sic plurificata, cognoscatur, sine determinatione ad unum, adeoque cum aptitudine.

INFERES. Aptitudinem tertiam Conclusionem expressam, esse aptitudinem exigitam ab universali formaliter. Ratio, quia universale debet esse aptum inesse multis, & cum hæc aptitudo non sit ea, de qua Conclusionem prima, debet esse ea, de qua Conclusionem tertia, quæ enim alia?

DIFFICULTAS II.

Deciduntur quedam ad aptitudinem Naturæ universalis spectantia.

ASSERO 1. Quod in recto aptitudo, ista sit ipsa natura, in obliquo autem dicit, non determinationem ad unum, ex supposita plurificatione.

RATIO. Quia ita explicata aptitudine, Entia sine necessitate non multiplicabuntur.

ASSERO 2. Non solum aptitudinem, adesse in multis, sed & ad existere in multis, requiri ad rationem aptitudinis debitam, universali formaliter.

RATIO. Quia essentia & existentia non distinguuntur, hinc data aptitudine ad esse in multis, debet dari & aptitudo ad existere in multis. Cæterum per prius, dicit aptitudinem ad essendum in multis. Ratio, quia ipsum esse est prius, ipso existere.

ASSERO 3. Illam ipsam aptitudinem negativam, à nobis admissam, esse aptitudinem universali debitam.

RATIO. Quia aptitudo illa debet esse proportionata universali, non est autem proportionata, nisi aptitudo negativa, quia cum universale formaliter, præscindat à differentiis, etiam aptitudo illius, debet præscindere à differentiis, à quibus cum non præscindat nisi aptitudo negativa, illa non nisi erit debita universali formaliter.

ASSERO 4. Possit hanc ipsam negativam aptitudinem suo modo dici positivam.

RATIO. Quia ipsa aptitudo negativa, in recto est ipsa natura humana, quæ est quid positivum.

DICES. Affirmationes priores sunt negationibus, & ipsum esse, hoc est, prædicata positiva, priora sunt ipso non esse, hoc est prædicatis negativis. Hoc supposito. Consideretur natura humana universalisfacta, in eo statu, in quo est prior, ex modo nostro concipiendi omni negatione, certè hæc natura, in quantum est prior omni negatione, erit distincta à natura divina, in hoc, quod natura divina, sit multiplicabilis, & non plurificabilis, universale autem & multiplicabile, & plurificabile; quod si erit distincta tunc natura universalis, à natura divina, ergo distinguetur aptitudine, ad plurificari, supponeturque eam habere, ante omnem negationem.

RESPONDETUR. Pro illo priori, non posse supponi naturam humanam universalisfactam, tamen discernetur à natura divina, ipsa connexion prædicatorum. Quia v. g. natura humana etiam sine aptitudine considerata, dicitur nexum, prædicatorum Animal Rationale, quem nexum non dicit Deus, nihilque vetat in aliquo statu intentionali, considerari naturam, prout non dicentem distinctionem à natura divina, in aliquo prædicato, in quo cæteroqui nata est dicere distinctionem: & ita natura creata, pro illo priori, pro quo prius est esse naturam, tanquam quid universalis, & posterius creatam, considerata natura creata, non dicit distinctionem à Deitate, à qua tamen nata est dicere distinctionem pro statu reali.

ASSERO 5. Hanc aptitudinem ad essendum in multis debere esse realem.

RATIO. Tum quia non debet esse fictitia unitas universalis, nec fictitium universale, ergo nec aptitudo ad essendum multis, debet esse fictitia. Tum quia, si sufficeret aptitudo fictitia, etiam natura divina posset esse universale formaliter. Tum quia, si non requireretur aptitudo realis, sed sufficeret fictitia, sufficeret etiam chimærica; non enim major est ratio unius quam alterius. Hoc autem dici non potest, quia posset esse universale formaliter, id quod

quod est contradictoriū universali formaliter, quia posset fieri v. g. ex singulari universale formaliter, quod singulare, est contradictorium universali formaliter, singulareq; dicens ineptitudinem inessendi multis, si universalisaretur, diceret aptitudinem inesse multis.

DIFFICULTAS III.

De Prædicabilitate Universalis?

Uo hic specialius inquirentur; an prædicabilitas sit essentia universalis? & an universale singularisetur in prædicando? Ut utrumque decernatur.

PRÆMITTO 1. *Quod prædicabilitas, nihil aliud sit ex modo nostro concipiendi, nisi aptitudo quædam, & capacitas ad prædicari, sicut è contra prædicatio, est actus istius capacitatis & aptitudinis.*

PRÆMITTO 2. *Prædicabilitatem quandam tenere se ex parte intellectus* potentis aliquid prædicare, possetq; hæc dici prædicabilitas activa, vel si mavis dicere prædicativitas; & alia prædicabilitas, tenet se ex parte objecti, potentis prædicari; possetq; hæc dici prædicabilitas passiva, de qua hic agetur.

PRÆMITTO 3. *Prædicabilitatem passivam, in re nihil aliud esse, quam ipsam entitatem objecti, potentis assumi ad prædicationem.* Hinc eadem prædicabilitas, cum universali natura, in re, est idem; quia in re, est ipsamet natura, quæ prout est unum aptum inesse multis, est universale formaliter, prout autem est apta prædicari de multis, dicit prædicabilitatem, consequenter solis connotatis differunt.

PRÆMITTO 4. *In universalitate rationem prædicabilitatis, non esse rationem primariam.* Ratio, quia id quod fundatur in alio, non est in illo primum, sicut & risibilitas fundata in rationalitate, non est primum in homine, quod in hoc resolvitur: quia illud in quo aliquid fundatur, debet esse radix ejusdem, adeoque continere eminenter perfectionem illius fundati, & insuper continere suam, prædicabilitas autem fundatur in ipso Esse, prius enim est esse, postea dici, consequenter prædicabilitas, non erit quid universale.

PRÆMITTO 5. *ex Hurt. d. 3. Log. f. 1. Actus intellectus dupliciter spectari posse.* 1. Ut respiciunt objectum, illudque denominant, unā cum potentiis, cognitio enim, & cognitum denominat, & cognoscentem. 2. Ut se mutuo respiciunt actus, sicut discursus respicit iudicium, iudicium autem respicit simplicem apprehensionem. Ex his duobus respectibus duæ consequuntur denominationes, in casu quo formatur universale; ex primo respectu: resultat deno-

minatio universalis, quia actus respicit objectum repræsentans communem rationem pluribus; ex secundo respectu, resultat denominatio prædicabilis, verè enim illud objectum potens est prædicari, & actus prædicativus, respicit actum ponentem objectum, in statu proxime prædicabilis.

Quod attinet ad hoc: an prædicabilitas sit de Essentia universalis.

ASSERO 1. *Accepta prædicabilitas pro eo quod dicitur in recto, est de Essentia universalis Metaphysici.*

RATIO. Quia nihil est magis de essentia universalis Metaphysici, quam illius Entitas, prædicabilitas autem pro eo, quod dicitur in recto, importat naturam, ut dictum.

ASSERO 2. *Accepta prædicabilitas pro formali-
tate conceptibili per modum capacitatis ad prædicari, non est de essentia universalis Metaphysici.*

RATIO. Tum quia, quod non est de ratione definitiva alterius, nec est de essentia illius, definitio enim fit per Essentialia; jam autem per prædicabilitatem, non definitur universale Metaphysicum. Tum quia dici, non est de Essentia esse, hoc ipso enim non esset dici, sed esse. Ergo & prædicabilitas non erit de essentia universalis Metaphysici, utpote quæ est de linea dici. Tum quia Essentia non datur aliquid prius in universali Metaphysico, nempe ipsum esse; non enim ideò est aliquid, quia dicitur, sed ideò dicitur, quia est.

ASSERO 3. *Prædicabilitatem esse Passionem universalis Metaphysici, si sumatur pro prædicta capacitate.*

RATIO, quia convenit soli, & semper.

ASSERO 4. *Prædicabilitatem esse de essentia universalis Logici.*

RATIO. Tum quia universale Logicum, est unum aptum dici seu prædicari de multis, ut habetur l. Periherm. c. 5. proceditque assertum de sic definito universali Logico; sed prædicabilitas est essentia unius apti dici de multis, est enim ratio definitiva ejusdem, ergo prædicabilitas est essentia universalis Logici. Tum quia nulla esset ratio constitutiva universalis Logici, si essentia illius non esset prædicabilitas. Tum quia, si de essentia universalis Logici, non esset prædicabilitas, ideò non esset, quia est proprietas universalis Metaphysici, sed hoc non obstat, quia etiam risibilitas est proprietas hominis, & tamen risibili quā tali, risibilitas est essentialis, universaliterque formæ, quæcunque etiam accidentariæ sunt essentialis suis concretis, hoc ipso enim jam non esset illud concretum, suntque definitivæ concreti illius, adeoque essentialis.

DICES 1. Quando concipitur natura ut communis pluribus, concipitur ut prædicabilis; sed per notitiam abstractivam, quæ est factiva uni-

versalis, concipitur natura communis pluribus, ergo concipitur prædicabilis.

RESPONDETUR. Quod tunc concipiatur ut prædicabilis natura, hoc est apta prædicari, sed non concipitur prædicabilis, hoc est definita per prædicabilitatem.

DICES 2. Præmissæ per seipsas immediate determinant intellectum ad prædicandum: Ergo & conceptus concipiens universale, seu naturam convenientem pluribus, determinabit intellectum ad illud universale prædicandum.

RESPONDETUR. Transeat totum, quia non infertur quod prædicabilitas sit de essentia universalis Metaphysici. Deinde argumentum multum probat, quia probat actuale prædicationem, esse de essentia universalis Metaphysici. Certè enim ita determinant intellectum præmissæ ad conclusionem, ut necessariò moveatur intellectus ad actuale conclusionis assensum.

DICES 3. Per unum eundemque actum natura sit universalis, & prædicabilis. Ergo prædicabilitas, est de essentia universalis.

RESPONDETUR. Neg. Conseq. quia per eandem actionem producit hominis risibilitas & rationalitas, & tamen risibilitas, est non nisi proprietas hominis, sufficitque dicere, quod prædicabilitas secundum id quod dicitur in recto, sit de essentia universalis Metaphysici.

ASSERO 5. Prædicabilitatem, de qua hic controversatur, sumi debere, pro prædicabilitate passiva, supra explicata.

RATIO. Quia prædicabilitas, de qua hic agitur, est prædicabilitas tenens se à parte universalis, jam autem prædicabilitas activa, tenet se potius à parte intellectus.

Quod attinet: An Universale singularisetur in prædicando? in hoc divisi sunt auctores, Scotus dicit singularisari universale in prædicando, & cum eo Smigl. d. 4. f. 6. idque docent consequenter ii, qui per actum confusum, docent fieri universale, consequenter per illos propositionis hujus: Petrus est animal, est sensus: Petrus est hoc animal. Alii censent, non singularisari universale in prædicando, suntque divisi, quia propositionis hujus: Petrus est animal; aliqui dicunt esse hunc sensum, Petrus est vel hoc, vel hoc animal. Aliqui hunc ponunt sensum. Petrus est vivens sensitivum. De quo

ASSERO 1. Universale non prædicari de suo inferiori, ut universale, neque ut singulare.

RATIO. Ubi in prædicatione non noscitur universale, ut universale, neque singulare ut singulare, in prædicatione, non prædicatur universale ut universale, neque singulare, ut singulare; cognitio enim illa ita reduplicativè noscens objectum, (& non quidquam aliud, quid enim illud?) debet formalisare prædicationem universalem ut universale, & singularis ut singulare; sed in prædicatione universalis de inferiori, ne-

que cognoscitur, universale, ut universale, neque singulare ut singulare. Ergo. Minor probatur experientià. Et certè non ex eo, quia repræsentatur natura præcisa à differentiis, præsentatur ut universalis: unde etiam potest præcise repræsentari natura divina sine personis, & tamen non præsentabitur tunc natura divina ut universalis, indubieque de natura sic spectata v. g. humana, potest prædicari universalitas, quod ipsum ostendit, aliam esse formalitatem universalitatis reduplicativè sumptæ, & aliam formalitatem naturæ secundum se.

ASSERO 2. Quando fit prædicatione universalis de suo inferiori, prædicari naturam secundum se.

RATIO. Tum quia ita voluit S. Th. op. 56. ubi ait, Homo secundum quod particularis, non prædicatur de Sorte, sed ipse terminus Homo, significat naturam humanam, absque omni participatione, & particulari ratione. Ergo sic prædicabit eam, non tamen universaliter, intellige ut addunt Interpretes, non distributivè.

ASSERO 3. Hoc ipso quia prædicatur natura præcisa à differentiis, prædicatur universale.

RATIO. Quia quando prædicatur unum aptum inesse multis, prædicatur universale; sed quando prædicatur natura secundum se præcise à differentiis, prædicatur unum aptum inesse multis, ergo quando sic sumpta prædicatur natura, prædicatur universale.

RESPONDEBIS. Sufficit quod hoc sit prædicatum universale, quoad modum significandi & æquivalenter.

CONTRA. Quia secundum dicta supra, non solum ex modo significandi, sed revera in illo objecto prout repræsentato, nullæ sunt differentię, & quæ in prædicatione ac in abstractione, ergo non tantum ex modo significandi est illic universale: & non tantum æquivalenter, sed formaliter non habet differentias, cur ergo non dicemus prædicari universale?

ASSERO 4. Quando prædicatur universale, non prædicari illud universaliter.

RATIO. Quia prædicari universaliter, est prædicari distributivè, & explicabiliter, per descensum, ita ut hæc propositio: Petrus est animal, explicetur: Petrus est, & hoc animal, & illud animal. Indubie autem dictæ propositionis, non est hic sensus.

ASSERO 5. Quamvis non prædicetur universale universaliter, non singularisari tamen illud in prædicando.

RATIO. Quia licet, non prædicetur universale universaliter, prædicatur tamen natura secundum se, ergo non singularisata; non enim esset secundum se spectabilis, si esset singularisata.

COLLIGES. Non singularisari universale in prædicando, sed nec prædicari universaliter, aut ut universale, licet prædicetur natura secundum se, consequenter hujus propositionis. Homo

Homo est animal, non erit hic sensus, homo est aliquod animal, neque, quod sit, & hoc, & illud animal, neque, quod sit vel hoc vel illud animal, sed quod sit vivens sensitivum.

Solvuntur Objectiones.

DICES I. Quando determinatur natura ad particulare, jam non manet natura secundum se, sed in prædicatione actuali, determinatur natura ad particulare, ergo non manet secundum se, ergo nec prædicatur secundum se.

RESPONDETUR. Quando natura determinatur, determinatione primò intentionali ad particulare, non manet natura secundum se, nam determinatio primò intentionalis, est determinatio ad statum realem, & existentiam, quæ est non nisi particularium; si autem sit determinatio secundò intentionalis, potest non determinari ad unum, quia secundæ intentiones, possunt versari, etiam circa non determinata ad unum.

INSTABIS I. Si vera est distinctio, sequitur non esse identitatem prædicati cum subiecto, quia rationis intrinsecè particularis & ad differentiam determinatæ, non potest esse identitas, cum ratione indeterminata, & præcisâ à differentiis.

RESPONDETUR. Quod si ratio determinata, fundamentaliter dicat prædicata præscindibilia à determinatione, poterit de illa verificari ratio indeterminata, conformis illi fundamentum: cui enim bono esset illud fundamentum? consequenter erit jam tunc identitas prædicati cum subiecto, cæteroqui non futura, si non adesset dictum fundamentum.

INSTABIS 2. Id debet prædicari quod inest, non inest autem animalitas præcisâ. Ergo nec prædicari debet.

RESPONDETUR. Id quidem debet prædicari, quod inest, sed non eo modo quo inest, adeoque non singularisando prædicatum.

INSTABIS 3. Si non prædicatur id quod inest, eo modo quo inest, ergo modus dicendi, non sequitur modum essendi. Modus enim essendi Petri, est particularis.

RESPONDETUR. Sufficere ut modus cognoscendi, sequatur modum essendi, vel Physicum, vel Metaphysicum: sequetur modus prædicandi modum essendi Physicum, quando de Petro particulariter animal dicitur; sequetur modus dicendi, modum essendi Metaphysicum, quando de Petro, prout dante fundamentum præcisionum, prædicabitur ratio præcisâ.

INSTABIS 4. In propositione illa, Petrus est Homo, non prædicatur omnis Homo, ergo prædicatur aliquis Homo; sunt enim hæc signa contradictoria.

RESPONDETUR. Natura secundum se spectata importat sola essentialia sua prædicata,

cum ergo omnis & aliquis, sint accidentaliter prædicata absolvet ab illis, quamvis in statu Physico, ab illis non absolvat. Dixi quod absolvat à contradictoriis accidentalibus, quia non abstractit à contradictoriis essentialibus. Hinc falsum est, quod Homo neque sit animal, neque non animal. Verum autem est hominem in statu abstractionis, neque esse omnem, neque aliquem, nisi nomine aliquis, uti velis etiam pro significatione naturæ præcisæ sumptæ. Quanquam immeritò assumitur, Ly Omnis & Aliquis esse contradictoria, cum Ly aliquis, sine apposita negatione possit esse non contradictorium. Hinc huic termino omnis, contradictorium est in præcisâ ratione termini, Non Omnis, verumque est non omnem hominem prædicari de Petro, sed inde non sequetur aliquem hominem prædicari, quia in ista contradictione præcisè terminorum, Aliquis, habet se per modum positivi, consequenter sicut non est licitum argumentari à non esse albi ad esse nigri, ita nec à Ly Non omnis, licitum erit argumentari ad Ly Aliquis. Dixi in ista præcisè contradictione terminorum, non esse contradictoria Omnis & Aliquis, quia in propositionibus cum addito Non, contradictoria sunt Omnis, & Aliquis non.

INSTABIS 5. Si quando dico Petrus est animal, ponitur animal præcisè secundum se, ergo sensus erit, Petrus est animal præcisè secundum se.

RESPONDETUR. Quando dicitur animal præcisè secundum se spectatum prædicari, non dicitur, quod hoc ipsum debeat prædicari, sed non nisi modus ostenditur quo debeat prædicari, nempe importando sola essentialia prædicata.

DICES 2. In hac propositione: Petrus est Homo, vel prædicatur tota natura de Petro, vel aliquid illius, si aliquid ergo singularisatur; si autem tota natura prædicatur, falsa erit prædicatio, certè enim Petrus, non est tota natura.

RESPONDETUR. Tota natura humana prædicatur de Petro, secundum rationem communem spectata seu Metaphysicè, sed non tota Physicè, quia non secundum omnes rationes individuales, quæ illi in, & pro statu Physico conveniunt.

DICES 3. Si non singularisatur universale in prædicando, ergo unum & idem de realiter distinctis prædicari potest, hoc est una ratio hominis abstracta.

RESPONDETUR. Unum & idem secundum rationem communem, & Metaphysicam, de realiter distinctis prædicari potest, si enim ratio communis de distinctis realiter dici non posset, hoc ipso non esset ratio communis, licet unum & idem Physicè de realiter distinctis dici non possit; quia si verificaretur prædicatio unius realiter, de distinctis realiter, auferretur illorum distinctio realis.

DICES 4. Prædicari de alio nihil aliud est, quam unire prædicatum cum subiecto, atque ita uniendo prædicatum universale, subiecto particulari, unirentur plures naturæ, quod est absurdum.

RESPONDETUR. Cum per nos universale, non sint plures naturæ, uniri illud particulari, non est uniri plures naturas.

DICES 5. Universale nihil aliud est per nos, nisi natura abstracta à differentiis; illic prædicatur talis natura, ergo prædicatur universale.

RESPONDETUR. Concedend. totum, non nego enim, specificativè acceptum universale prædicari, sed nego prædicari quâ universale reduplicativè acceptum.

INSTABIS. Si universale quâ universale non prædicatur, non esset universale prædicabile, tanquam universale, sed hoc est absurdum, quia passio universalis, non esset prædicabilitas.

RESPONDETUR. Passio, universalis est prædicabilitas, sed non est passio, prædicabilitas, quâ universale est.



DISPUTATIO IV.

De Universalibus in particulari.

Porphyrus Apostata scripsit introductionem in Philosophiam, quæ continet cognitionem Universalium in particulari, de quibus sit

QUESTIO I.

De Numero Prædicabilium.

Numerantur ordinariè quinque Universalia, Genus, Species, Differentia, Proprium & Accidens.

DICENDUM 1. Si velis *Ly prædicabile*, impossibile esse nonnisi ad significanda prædicata essentialia & quidditativa, duo tantum sunt prædicabilia, hoc est genus, & species.

PROBATUR 1. Quia nonnisi per genus & speciem respondetur ad interrogationem quid est? prædicata autem quidditativa ista dicuntur quibus satisficit interrogationi, quid est? & ita si quærat quid est Petrus? & respondeatur est animal, erit responsio per prædicatum quidditativum; hoc est per genus; quod si iterum quærat, quid est Petrus? & respondeatur homo, erit responsio per prædicatum quidditativum hoc est per speciem.

PROBATUR 2. Quia per *ly Quid*, intelligitur id cui advenire intelliguntur reliqua: jam autem generi advenit differentia, & speciei, advenit accidens & proprium.

PROBATUR 3. Quia non potest ostendi, cui nam conveniat, Quid, aut cui convenire possit præter Genus & Differentiam?

DICENDUM est 2. *Hoc nomen Prædicabile, non est impositum ad significanda sola prædicata Quidditativa.*

PROBATUR 1. Quia in quæstione de voce, cum pluribus loquendum; communis autem sententia *ly prædicabile*, non ad sola quidditativa prædicata restringit.

PROBATUR 2. Ideo Genus & Species sunt universalia prædicabilia, quia ab inferioribus per actum præscindendum vel confusum abstrahi possunt, sed idem fieri potest cum Differentia, Proprio, Accidente. Ergo & hæc possunt esse universalia Prædicabilia.

PROBATUR 3. Quia nulla necessitas est restringendi nomen hoc Prædicabile, nonnisi ad prædicata quidditativa; sicut nulla est necessitas restringendi nomen Animal nonnisi ad hominem.

DICENDUM est 3. *Hoc nomen Prædicabile, impositum esse ad significanda tam Prædicata quidditativa, quam ad Prædicata in Quale*, consequenter quinque esse Prædicabilia.

PROBATI solet 1. Omne quod dicitur de alio, vel dicitur in Quid, vel in Quale; si in Quid, tunc dicitur vel in Quid de pluribus differentiibus specie & numero, & sic est Genus; vel de pluribus differentiibus numero & sic est Species; si autem dicitur in Quale, vel dicitur in Quale essentiali, & sic est Differentia; vel in Quale convertibile, & sic est Proprium; vel in Quale non convertibile, & sic est Accidens.

PROBAT 2. Suarez. Quidquid est in multis, vel est in illis tanquam aliquid essentiali, vel tanquam aliquid accidentali; si est tanquam essentiali, habetque se per modum partis materialis, & illud erit Genus; si verò se habet tanquam pars determinans, erit Differentia; si autem tanquam totum essentiali erit Species. Porro quod inest accidentaliter pluribus, vel est

rale